

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertatio Medica Sistens Naevorum Origines

**Gruner, Christian Gottfried Gruner, Christian Gottfried
lenae, 1778**

VD18 13134485

Pars I. Physiologica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15050

P A R S I.
P H Y S I O L O G I C A.

C A P V T I.

IN QVO ADVERSARIORVM ARGVMENTA A
PRIORI VT AIVNT SVMTA RECENSENTVR
ET CONFVTANTVR.

§. I.

Naeui significatio ac potestas.

Varia huius vocis significatio atque potestas est. Multis enim idem, quod vitium, crimen, delictum rel. esse videatur, alii vero sub hoc nomine verrucas intelligunt, aliis idem est, quod macula, secundum illud *NASONIS* a):

Hoc, precor, emenda; quod si correxeris unum,

Nullus in egregio corpore naeuius erit.

Ex medicorum autem more haec vox rursus est ambigua. Nam si sensu sumitur latiori, tunc omnes corporis infantis declinationes, quatenus maternam pro causa agnoscant phantasiam, sub hac significatione comprehenduntur. Si autem vocem accipimus sensu strictiori, tunc tantum vitia, quae superficie corporis infantis phantasia matris impressit, denotat. Nos hanc vocem in sensu latiori sumimus, et connotas declinationes, quoad habitum corporis externum, quas vulgus putat ab phantasia matris fetui fuisse impressas atque relictas, sub hac voce intelligi volumus.

A 3

§. II.

a) Trist. L. V. Eleg. 13. v. 15.



§. II.

Quomodo ex aduersariorum sententia naeui per animi motus producuntur.

Qua de re proprius ad materiam, quam mihi explicandam sumsi, accedenti, primum aduersariorum argumentum *de motibus animi matris* fetum mutantibus examinandum esse videtur. Duplici modo id fieri statuant. Primo enim aiunt, quotidianam docere experientiam, ab affectionibus animi vehementibus incredibiles et turbulentos in corpore oriri motus: moerorem frangere vim cordis, minuere appetitum, viresque vniuersi corporis debilitare; metum similia efficere, indeque horrorem et contractionem vasorum, ab terrore nasci vehementes perturbationes, cum in eo vires naturae augentur, et fortissimi motus in vniuerso corpore excitentur. In ira similia reperimus symptomata, nempe pulsum citatiorem, ruborem, calorem, inflammations, bilis effusiones, ita, ut ex ipsis animi commotionibus maxima sanguinis et humorum circulationis perturbatio sequatur semper necesse b) sit. Ex his concludunt, mulieres sub grauiditate quo magis mira sensibilitate et irritabilitate essent praeditae, eo magis debere ab his affici, fetumque per consensum insigniter cum laedi, tum naeui deformari c). Alter modus, quo mutari adeo corpus posse contendunt, ille est. Quaedam in matre prægnante idea, quae nascatur visu, auditu vel sola phantasia, vel solo appetitu, produceret in fetu figuram perfecte similem illi rei, quam praegressa viuida idea matri representauerat d). In quo quam multa insint arbitraria et prevaricatio sumta, imo etiam ambigua et falsa, sequentibus amplius illustra-

b) HALLER Element. Phys. T. V. p. 587. seq. ZIMMERMAN von der Erfahrung, T. II. B. IV. C. XI. p. 429. seq. VNZERS erste Gründe einer Physiol. der Thieris. Natur, T. I. C. 3. p. 315. seq.

c) KRAVSE Preischrift §. 39. Verf. Germ. Confer. etiam PLATTNERE Anthropologie p. 180. seq.

d) BOERH. Praelect. De morbis neru. T. II. p. 459. seq.



illustrare annitar, idque eo magis, quod in his omnis dubi-
tandi ac litigandi materia posita est.

§. III.

Controuerfiae finitio et recensus auctorum.

Perlubenter ergo, vt largi simus, concedamus Cl. Ad-
uersariis, fetum, perturbato humorum matris in orbem
fluore, insigniter laedi posse; quippe inter omnes constat,
infantem tenellum vel sanissimum conuelli et in epilepsiam
incidere *e*), quando nutrix sanissima, illico post iurgia et animi
perturbationes vbera praebet. Deinde et illud largiamur,
facilius ab ipsis affectionibus maternis in fetus corpusculo re-
stagnationes humorum, praecipue in cute, oriri posse,
quas postea, cum in lucem editus puellus est, obstetrices sub
naeuorum nomine venditant, ideoque et graues animi motus
inter caussas talium naeuorum iure meritoque postea recen-
sebimus. Alterum vero modum, quem supra attulimus, ne-
gamus ac pernegamus. Ante vero, quam ad opus ipsum
progrediar, boni ominis et ordinis gratia, ipsam controuer-
fiam rite definiamus, vt perspiciat optimus quisque, penes
quos sit veritas. Quaeritur, an viuida imaginaria idea vitia
in corpore fetus, illi rei simillima, quae talem imaginariam
ideam excitarat, gignere atque efficere possit? Hoc aduer-
sarii affirmant, nos negamus. Itaque visum est, praemissa
recensione eorum, qui vires ad contrariam opinionem sta-
biliendam profuderunt, singula argumenta in vtramque
partem examinare. *Principes* defensores phantasiae hic no-
minasse sufficiat; Ceteri enim, quos studio deditaque
opera omitto censui, fere eadem docent ac sentiunt,
ideoque eodem modo confutari debent. Sunt vero illi, ni
fallor, *HIPPOTRATES f*), *C. PLINIVS SECUNDVS g*), *GA-*
LENVS

e) ROSENSTEINS *KinderKrankheit* p. 68. Edit. MVRAY.

f) Libr. de supersaetatione c. 8. p. 650. T. I. Edit. LIND.

g) In Nat. Hist. L. VII. C. XII. p. 110. Ed. FROBEN.



LENVS *h*), EBN SINAI *i*), THEOPHRASTVS PARACELSVS
BOMBAST. AB HOHENHEIM *k*), H. CARDANVS *l*), ANGELVS
POLITIANVS *m*), HELMONTIVS *n*), DAN. SENNERTVS *o*),
GASPAR REIES *p*), IOH. BENED. SINIBALDV^S *q*), IOANNES
SCHENCK^r), PHIL. SALMVTH *s*), THOMAS BARTHOLINV^T *t*),
IOH. IAC. WALDSCHMIDT *u*), IOH. HELLWIG *v*), PETRVS
BORELLVS *w*), HILDANVS *x*), GEORG. ERNEST. STAHL^y),
MALEBRANCHE *z*), ANDREAS RIDIGER *a*), HERM. BOER-
HAVE *b*), KRÜGER *c*), *Illustris NICOLAI, Fautor ac Patro-*
nus ad

- h*) L. de Theriaca ad *Pisonem*, Edit. CHARTER. T. XIII. C. II. p. 946.
- i*) Fen. 2. Libr. 1. Doct. 2. C. 14. Edit. Bas. 1556.
- k*) L. III. p. 366. T. II. operum latine redditorum, Basil. 1575.
- l*) De Sanit. Tuend. et vit. produc. L. I. Romae 1582.
- m*) In Interpret. problemat. Aristot. p. 121. Lugd. Batav. 1573.
- n*) In operib. quae Francof. 1682. prod. p. 840. n. 14.
- o*) In Libr. de Consens. Chymic. p. 236. seq. Edit. 3. Francof. et Wittenb. 1654.
- p*) Elys. Iuc. Quaest. Camp. Franc. 1670. p. 542.
- q*) In Geneanthropia p. 680.
- r*) In Obsf. medic. rarer. Franc. 1665. L. IV. p. 564.
- s*) Obsf. Cent. I. Obsf. XCV. et Cent. II. Obsf. XVI.
- t*) In Aet. Med. et Philos. Hafniens. 1673. Obsf. I.
- u*) Epist. II. ad DOLAEVM p. 47.
- v*) Obseru. physico medicae posthumae in lucem editae a LVCA SCHROECKIO, Aug. Vind. 1680. p. I. 15. et 125.
- w*) Hist. et Obseru. Medico-phys. Francof. 1670. Cent. III. Obsf. XLIX.
- x*) Obseru. Chirurg. Cent. III. Obsf. 56. p. 245.
- y*) Theor. Med. vera p. 45. et Sect. IV. p. 491.
- z*) Von der Wahrheit, Hauptst. 7. p. 727. seq. Verf. Germ. Halae 1776.
- a*) De Diaeta eruditorum p. 144.
- b*) In Praelect. de morbis neru. p. 459. seq. Francof. 1762.
- c*) NaturLehre T. II. p. 815. Halae 1748.



*nus ad cineres usque deuenerandus d), i. H. MAVCLER e), G.
AVG. LANGGVTH f), CAR. CHRIST. KRAVSE g), SWIETE-
NIVS h), SCHAEFFER i), TODE k) rel.*

§. III.

Oeconomiae diuinae contraria opinio repugnat.

Rerum creatarum beatitatem ac felicitatem, maxime
fuisse benignitati diuinae propositam, documenta summae
perfectionis, quae in oculorum adspectum cuique obserua-
tori veniunt, satis abunde declarant. Maxime autem id ex
hominis constitutione ac fabrica elucet. Nam experientia
confirmat quotidiana, machinam humanam ita esse consti-
tutam, ut non solum artificiosissimae structurae, sed etiam
virium sic dictarum animalium ministerio omnia, quae no-
cere possint, expellat, et praeter hoc animae humanae facul-
tas auersandi omnia, quae nobis damnum inferre possint,
est diuinitus impressa. Hinc nihil in corpore otiosum, ni-
hil superuacuum, nihil repugnans alteri; hinc mira corpo-
ris et animi conspiratio velutique contagio; hinc omnium
vnum idemque finis. Quae cum sint praeclarissima sapien-
tiae diuinae documenta, impium sane est, per istam hypo-
thelin

- d) In egregio tractatu von der Würck. der EinbildungsKraft, Halae 1744. et in aliis locis.
- e) Abhandl. von der Gewalt der Einbild. in Schwangern, recus. in 3. merkwürd. Abhandl. von der Einbild. Kraft. Argent. 1756.
- f) Diff. de oculorum integritate, improuidae puerorum aetati solli-
cite custodienda, Witteb. 1754. vbi in §. 9. de hac materia agitur.
- g) In seiner Preischrift, Verf. Germ. Lipsiae 1758.
- h) In Comm. ad Aphoril. Boerh. T. III. Edit. Hildb. Aph. 1075. p. 406.
- i) Diff. de commercio matris cum fetu per neros, Erlang. 1775.
- k) In Societ. Med. Hafn. Collect. Vol. I. Obs. XIII. p. 96. et in Vol. II.
Obs. XII. p. 112. etiam Obseruat. quae ad hunc rhombum per-
tinet, legitur.

B



thesin summam sapientiae ac benignitatis diuinae regulam tollere vel frangere velle. Velox enim mulierum sagacitas, sensus exquisitor, mira nervorum consensio et passio hysterica, satis docent, sexum sequiorem a natura maiori sensibilitate ac irritabilitate fuisse praeditum. Qui quum per hanc dispositionem vehementissimis sensuum impressionibus, indeque viuidissimis oriundis ideis imaginarii quotidie pateat, mirum profecto est, quid sit, quod non quotidie etiam sic laedatur corpus muliebre, cur sub grauiditate demum pessima ista vis in fetum redundet, et habitum cutis deturpet, vel monstrosum efficiat. Fac etiam, maiorem tunc feminarum esse proclivitatem ad contrahendum vitium, habent tamen semper aliquam, et nihilosecius nunquam offenduntur, rarissime vel ipsae grauidae, quasi vero dum corpus idem est, iisdemque obnoxium caussis, non sequi possit idem effectus. Deinde si per phantasiae ludibria corpus mutatur, quidni etiam in melancholicis fiant eiusmodi impressiones, consimiles illis rebus, quas vehementer amplexantur? Habent enim illi magis, ac grauidae, imagines rerum ante oculos, et mire inde torquentur, at nuspia simile malum vsu euenerit. Ex quibus colligere licet, constructionem machinae muliebris ita esse comparatam, ut imaginatio tales mutationes in fetu edere nequeat. Nam contraria opinio mihi sapientiae et benignitati diuinae repugnare videtur. Deus enim nec poruit, nec debuit sic esformare corpus, ut quaecunque negligentia matris infantem notaret: qua de causa contraria doctrina iure meritoque iam esset reiicienda, sed ex aequo agere, et falsas ac praeiudicatas opiniones perlustrare fert animus.

§. V.

Contraria hypothesis, qua anima structrix corporis esse affirmatur.

STAHLII ad seclae cum viderent, fetus fabricam plurima summae sapientiae ostendere vestigia, ad aliquam caussam intelligi-



intelligentem praeuisorumque finium gnaram, quae fetum ad archetypum sibi impressum fabricet, configurerunt, rati, fetus animam structricem corporis esse. Praecipuum huius sententiae corroborandae argumentum exhibebant naeui, quos per phantasiam effici contendebant. Liceat verba STAHLII ipsa allegare^{l)}: *Inter quae primo loco numeramus energiam illam etiam alienae animae, et quidem nudo actu rationali fictitio in ipsam efformationem seu structuram corporis, quando videlicet ex imaginatione matris corpori infantili non tam aequa solum aliquid forte superinducitur: sed omnino etiam iam absoluta propria atque debita structura iterum dissoluitur et noua in eius locum substituitur. Et hoc quidem subinde immensum minori temporis spatio, quam de reliquo ordinaria structura absolui solet.* Porro agens de animae efficacia in struendo corpore^{m)}: *A posteriori, inquit, non tam solum potentiam hanc, quam verum et actum exercitum eius indies monstrat reformatio atque deformatio ordinariae configurationis per phantasticas ideas et intentiones. Iterum autem iterumque moneo, ut animus aduertatur ad illam circumstantiam, nempe quod idea illa pro noua inustata huiusmodi effiguratione ab anima rationali fingente simpliciter proficiatur.*

§. VI.

Ad istam hypothesin animaduersiones.

Quod ergo ad hypothesin Stahlianam attinet, eam hisce confisus argumentis iure reiiciendam puto. Primo enim mihi videtur haec corporis constructio animae longe superare sapientiam. *Anima enim nostra, inquit praecclare magnus HALLERVS n), unum tantum punctum distincte videt, unam ideam distincte cogitat, duo obiecta, si velit contemplari, continuo confunditur, errat, et neutram ideam recte expedit.* Nunc au-

B 2 tem

^{l)} Theor. Med. vera, p. 45.

^{m)} l. c. p. 491. et 92.

ⁿ⁾ Erster Umriss der Geschäfte etc. p. 314. §. 573.



— — — — —

tem oporteret animam infinita et distinctissima intelligentia esse praeditam, ut tot musculos, infinita vasa, fibrarum immensum numerum, ad exactissimum geometriae regulas construeret, quod autem finitae mentis naturae plane repugnat. Deinde motus vitales e. g. cordis et arteriarum imperio animae plane non sunt subiecti, i. e. pro voluntate animae nec fisti, nec augeri, nec minui possunt *o*), et si facile largior, pro affectuum animi varietate crescere vel decrescere celeritatem harum actionum *p*). Si autem illi motus, a quibus tamen conseruatio nostrae vitae pendet, imperio animae non sint subiecti, profecto non intelligo, quomodo anima partes corporis fabricare potuerit. Cogitent denique aduersarii, epigenesin omnino locum habere non posse. Nam qui attente fabricam meditatus fuerit corporis, sentiet illico, animal nunquam absque corde fuisse, siquidem in corde solo principium omnis vitae inest, ac debere etiam cum corde arterias adfuisse, quae sanguinem ad omnes embryonis partes deferrent, et venas, quae sanguinem ad cor reueherent; sive intelligitur, structuram corporis humani opus dei omnipotentis esse, non naturae alicuius, limitibus arctissimis circumscriptae, nulla idea corporis aut sui, aut alieni imbutae. Nam cum ille, qui vel quinquaginta annos in anatomicis laboribus consumserit, nondum centesimam partem propriae cognoscat fabricae, siue corporis tantum superficiem cognitam habeat, interioris constructionis plane ignarus, confitendum est, creatorem primordia fetus ipsa struxisse prius, quam vis mascula accesserit *q*). Concesso autem euolutionis systemate, omnis doctrina Stahlianorum evanescit, vnaque aduersariorum opinio de naevis, per animae vim fabricatricem productis. Quibus absolutis, reliqua percensemus, modum examinaturi,

quo

o) PLATTNER Anthropol. p. 5. §. 8. seq.

p) HAMBERGER Phys. Med. p. 578. §. 611.

q) HALLER Element. Phys. T. VIII. p. 127. BONNET Betracht.
über die Natur T. I. p. 151. der Titiusj. Uebersezung, et in Abh.
von den organisirt. Körpern, T. I. C. VIII. p. 104. Verf. Germ.



quo secundum aduersariorum sententiam idea imaginaria a matre in fetus transeat.

§. VII.

Explicatio modi, quo secundum contrariam opinionem idea matris imaginaria in fetus propagatur.

Aduersarii statuunt, duplarem adesse viam, qua idea matris imaginaria fetus afficere possit, aut per consensionem neruorum, quae matri cum infante intercedat, cuius ministerio sensus matris cum cerebro fetus communicetur, aut per nexus vasorum sanguinis, quem per funiculum umbilici et placentam cum utero matris fieri contendunt r.). Itaque omnis nauanda est opera, vt ostendamus, primum, neruos neque in placenta, nec in funiculo adesse, in quibus ratio mutationis tantae tamque mirabilis latere possit; deinde connexionem fetus cum matre per sanguinem adhuc valde esse dubiam, et concessa etiam illa, tamen imaginariam ideam hac via non posse diffundi vel naeudos efficere.

§. VIII.

Anatome nullos neque in placenta, neque in funiculo demonstrat neruos.

Constat vero inter omnes, neque in placenta, neque in funiculo umbilici, vspiam neruos inuenisse accuratiorum incisorum quemquam. Quum itaque ad propagandam imaginariam ideam requiratur, vt adsit in corpore aliquid, quod impetum eius transferat eo, quo pertingere debet, consequens est atque consentaneum, vt hoc fiat neruorum ministerio, quia hi soli animi imperia exequuntur. Quod si verum est, (neque negabunt, vt spero, aduersarii, cum neruis eam vim atque potestatem

B 3

ipfi

r) KRAVSE l. c. §. 22. p. m. 23. MALEBRANCHE l. c. p. 227.



ipsi tribuant) consistere decreti contrarii veritas nullo modo potest. Nam nulli nerui a matre in fetum transeunt, ideoque corruit firmissimum opinionis huius praefidium, neque possent ii nerui oculos fugere, dum in funiculum ex ingenti placenta colligantur.^{s)} necesse est. Neque vero etiam aduersariorum obiectiones valde vereri licet, quibus vtuntur ad nostram euertendam sententiam. Verum quidem esse aiunt, nullos neruos in illis partibus reperiri, sed tamen experientia constare, ibi saepissime subesse neruos, vbi eos etiam nec auxilio optimorum microscopiorum, nec cultelli ope detegere possis. Sed in promtu est, quod respondeam. Argumentatio enim illa mihi ab muscularum structura sumta esse videtur, de qua magnus HALLERVS testatur ^{t)}, neruos, et quidem copiosiores, quam in aliis membris, cum vasis per telam muscularum cellulosa transire, sed prius evanescere, quam ad fines ultimos perseQUI possis; Sed hoc nequaquam in funculo vmbilici et placenta ipsa locum habet, quippe quae a muscularum fabricatione omnino abhorrent, et sola tela celulosa, neruis vbiique carente, componuntur. Deinde in omnibus casibus, quos aduersarii allegant, ramus nerui principalis et eius insertio sub adspectum oculorum cadit, et si ultimos fines detegere non possumus; at vero in nostro casu neque ramus principalis, neque insertio, neque finis oculis nostris se offert. Cl. SCHAEFFER ^{u)} obiicit, magna vasa sanguinea in funiculo adesse vmbilici, eamque ob causam etiam neruos inesse debere. Multa esse vasorum, in quibus nerui in conspectum veniant, facile euidem concesserim, at vero in vasorum vmbilici idem fieri, experientiae anatomicae repugnat, ideoque Vir Cl. mihi videtur aliquid attulisse, tanquam certum et firmum, quod ne ita quidem esse probari potest, ideoque ex similitudine tantum conclusisse. Sic parum

^{s)} HALLER Elem. Physiol. T. VIII. p. 129. ELLER Mem. de Berlin T. 12. p. 9. et MAVCLERC hoc etiam confitetur l. c. p. 265.

^{t)} Erster Umriss, §. 398.

^{u)} In Dissert. de commercio fetus cum matre per neruos.



parum aut nihil proficitur. Nam hac argumentandi ratione nihil magis lubricum, nihil fallacius est, et quaeri potest, annon natura in his partibus, quae post partum illico secedant, aliquam exceptionem a regula, ut aiunt, fecerit. Quae opinio cum sit perquam probabilis, creatoris sapientiam mirari debemus, quae ne orbis terrarum monstros vel hominibus deturpatis impleretur, suetas naturae leges quasi suspendit, et corporis infantilis dispositionem aliquo modo diuersam fecit.

§. IX.

Placenta et funiculus umbilici sensu carent.

Neque vero consideranti mihi ea, quae in placenta maximeque funiculo post partum vsu eueniunt, videtur contraria sententia posse consistere. Etenim ubi nervi adsum vel minimi, ibi sequi debere sensum illico, dum nervus attingitur, omnes physiologi unanimi consensu affirmant. Ex quo sequitur, ut si vel minutuli in placenta aut funiculo essent nervuli, hae partes sint natura sua sensibilitate praeditae. Infantis autem eas esse, ex his concludere licet. Primo, si manum placide inter placentam et uterum interponis, tunc sine omni sensu mulieris tolli cohaesio, et separari a se inuicem possunt. Deinde si nervi ex superficie uteri in placentam transirent, necesse esset, ut per placentae separationem et ille semper laceretur, unde vehementes dolores, immo conuulsiones orirentur; id quod tamen non contingit v). Porro experientia confirmatur quotidiana, placentam uterinam sine ullo matris dolore et sensu in utero discindi posse, modo obstetrix sibi caueat, ne uteri superficiem laedat. Denique et ipse funiculus ligari et discindi potest, neque tamen infans illa alicuius doloris signa ploratu

v) ROEDERER in *Abhandl. von Muttermählern der Kraus. Preisschrift beygedruckt* p. 64.



ratu vel conuulsione edit w). Id quod quomodo fieri possit, si vel minimi adessent neruuli, vt aduersarii contendunt, equidem nec video, nec coniectura assequi possum.

§. X.

Aduersariorum sententia de ideae imaginariae per sanguinem propagatione.

Altera via mihi nunc est examinanda, per quam contrariae opinionis fautores ideam imaginariam a matre ad fetum usque propagari posse dicunt, i. e. via sanguinis. Equidem aegre istam materiam pertractandam sumo, partim quia alii physiologorum omnem connexionem, quae matrem fetumque vasorum ministerio intercedat, negant ac pernegant, alii autem affirmant, neque vero lis est composita, partim quia sic cogor contra viros quosdam clariss. pugnare, quorum nominibus ego perlubenter assurgo, et omni, qua possum, veneratione cedo. *Sunt enim, qui hac via imaginariam ideam a matre in fetus transferri et posse, et debere aiant, cum in homine arteriae et venae cum cortice cerebri et nervoso genere intime cohaereant, deinde fetus per arteriam umbilici et placentam cum matre conspiret, et in utroque idem sanguinis circuitus reperiatur. Ex quibus concludunt, hac dispositione succi neruei materni aditum dirigi, et motum sanguinis materni, unaque motum sanguinis in fetu mutari, perque hunc cum naturam et distributionem succi neruei, tum ipsius phantasiae vim.* Ex hac ratione etiam statuunt, MALEBRANCHII sententiam, *qua fetus rerum externarum imagines percipere creditur, proprius a vero abesse videri.* Sed in his, bona cum tantorum virorum venia, duo habeo, quae non finant assentire, et, quod aiunt, in verba magistri iurare. Primo enim consipi-

w) *Dominicus de MARCHETTIS* in Anat. c. 8. p. 81. inquit, *vmbilicus a membrana constituitur, estque absque neruis, vt sensu omnino careat.* Et *SPIGELIUS* p. 8. dicit, *vmbilicum sine sensu esse.*



conspiratio ista, quae ope vasorum inter fetus et matrem fiat, anceps et dubia est: Deinde non desunt rationes, e quibus patet, etiam si haec connexionio satis certa esset et demonstrata, tamen imaginariam ideam rei visae vel horrendae figuram in corpore fetus effingere nullo modo posse. Quod si examinavero, nihil fecisse videbor, nisi quod partes scribentis a me postulant.

§. XI.

Dubitaciones contra circulationis fetus cum circulatione matris coniunctionem.

Multae eaeque haud leues dubitationes a Viris Clarissimis contra hoc commercium, quod inter matrem ac fetus interesset, quoad sanguinis ambitum, in medium sunt adductae. Quas equidem ad rem meam facientes, negligere nequeo. Primum lumina vasorum placentae, versus uterum directa, minutissima sunt, ita, ut, si iniectionem per vasa umbilici tentemus, neque oleum therebinthinae, neque alias humor per ea transeat. Contra ora vasorum uterinorum tantae sunt amplitudinis, ut sub grauiditate digitum minimum immittere liceat, et sanguis post partum undatim exinde profluat α). Quibus rite consideratis, patet, connexionem vasorum uteri ac placentae ferri nullo modo posse, quippe coniunctio vasorum, si qua concedi debeat, sub hac lege ac conditione, locum habere potest, ut vasa aequali diametro gaudeant. Deinde demonstrant Cl. viri, quibus fidem, cum in experimentis omnis posita sit, detrahere nefas foret, nunquam liquorem iniectum vel hydrargyrum, si iniectione per matris vasa abdominis fuerit tentata, in placentam, funiculum et ipsum fetus penetrasse, sed tantum placentae cellulas implesse, et contra si per fetus vasa umbilici ceram immittere placuerat, eam minime in vasa transiisse uteri. Hisce expe-

C rimen-

α) ROEDERER l. c. p. 59.



rimentis fretus iam olim magnus HARVAEVS tale commercium reiecit y), affirmans non verum esse, spiritus a matre per arterias ad fetum pertingere, nec magis verum, vasa fetus umbilicalia cum uteri vasis per anastomosin coniungi. Hanc sententiam etiam amplexus est FRIDERICVS HOFMANNVS z), cautor profecto in affirmando multis, qui ab eo nominari cupiunt. Crediderunt enim veteres, inquit, sanguinem matris nutrire infantem, et vasa uteri cum vasis secundinae et fetus inuicem connecti; sed notabile est, liquorem siphone iniectum per umbilicales arterias, per venam umbilicalem redire, modo placenta illaesa fuerit. Ex quo apparet, nullas dari anastomoses vasorum uteri cum vasis secundinae et fetus, neque sanguinem fetus rursus ad matrem redire. Neque absimiliter IO. BERGER a): Non praetermittendum, liquorem per arterias umbilicales siphone iniectum in placenta integra et illaesa, nusquam effluere, vel extra vasa mitti. Talia experimenta ab aliis Viris Cl. posthac fuerunt repetita et confirmata b), vt de eo fere amplius dubitare non liceat. Sed supersunt adhuc alia argumenta, quae recensere lubet.

§. XII.

Eiusdem argumenti.

Per experimenta constat, quod, ligatis arteriis funiculi, arteriae placentae desinant micare, et pulsus in funiculo primus omnium versus uterum casset, ultimus in funiculo supra ligaturam supersit: Quo experimento euincitur, sanguinem a fetu in placentam fluere, et non vice versa c). Immo vero scimus, fetus sanguinem a sanguine matris omnino differre.

y) In Exercit. de generat. animal. in adiecto capite de umbilico p. 564.

z) Med. rational. T. I. P. 2. C. 13. §. 8. Schol. p. 346.

a) Physiol. L. 2. p. 43.

b) ROEDERER I. c. ELLER Mem. de Berlin T. XII. p. 9. BLONDEL von der Einbild. Kraft p. 100. ALEX. MONRO Essay of à Societ. at. Edinb. T. III. p. 267. 272. 273.

c) ROEDERER De utero grauido, p. 28.



ferre. Nam in fetu sanguis est fluidior et tenuior, in matre multo viscidior. Quod autem sanguinis ambitus in fetu cum eo, qui in matre est, nullam habeat coniunctionem, exinde adhuc patet, quod arteriae fetus aliter ac matris pulsent, atque sic diuersa sit in utroque iecundum series, idque facile experiri licet, si manum alterum carpo matris, alterum umbilici funiculo admoueris d). Docuit etiam ROEDERER e), placentae superficiem conuexam, quae ad uterum attinet, ipsa placenta recentissime aulisca, sanguinem nullum emittere, ne tunc quidem, cum prematur digitis, quod contingere non posset, si sanguis per placentam ad fetus mearet atque remearet. Alii et illud addiderunt, inter fetus et uterum saepenumero calculum et concretiones calcarias atque argillaceas interponi, et tamen fetus saluum fuisse f).

Post per vsum atque experientiam constitit, quietem, inquietem, somnum, vigilias, vitam et mortem ipsam, tam in fetu, quam in matre diuersissimo tempore accidere. Matre enim dormiente ac veluti otiente, fetus in vtero saepe mouetur, et contra matre vigilante, saepe quiescit et dormit. Mater etiamnum viuit, mortuo fetu, fetus vero, matre iam exstincta, adhuc per integrum horae et amplius *g*). Immo vero in cadasuere aliquot haud dubie dies superiuueret, ni frigus immedicabile impediret. Quare etiam simul ac exstincta sit mater, sectio caesarea est instituenda, ne fetus vna cum matre pereat, quod vel ipsis legibus cautum est *h*). Id vero non accideret, si tale commercium inter matrem et fetus vere existeret. Hoc etiam exinde colligitur, quod grauida variolosa interdum sanum parit puerum, maculis

C 2 vel

d) HARVEI Exercit. de vmbilic. BLONDEL I. c. p. 100.

e) De Vtero grauido p. 28.

¹ Eph. Nat. Curios. Decad. II. an. 9. Observ. 137.

g) IOH. DOLAEVS E. N. C. Dec. II. An. 5. Obs. 157. p. 270.

5) Lex Regia Digest. L. XI. tit. 8. de mort. infer. etc. HEISTER
Inst. Chirurg. T. 2. Sect. V. c. 113. p. 758.



~~~~~

vel cicatricibus nullis foedatum *i*), ille autem haud raro variolarum signis notatus editur, cum tamen mater, quod omnes norint, variolas non fuerit perpesa *k*). Haec sufficiant ad probandum, quam dubia sit dicta ista matris et fetus communio, ideoque minus bene ripae precipiti credatur. Sed ne iniurius in aduersarios clariss. fuisse videar, reensembo etiam fideliter argumenta, quae ad defendendum hoc commercium allegarunt, et confutationem statim subiiciam.

### §. XIII.

#### *Argumenta pro tuendo comercio. Mensium suppressio.*

Primum argumentum a *mensium suppressione* repetitur. Aiunt enim, non intelligi, cur illi adeo certe, ac illico post conceptionem, primo iam mense, in feminis supprimantur, nisi uterus in placentam suum sanguinem dimittat *l*). In quo equidem argumento confiteor me multa desiderare. Multae enim sunt mulieres, quae nunquam menstruo fluori patent, et tamen saluae et incolumes viuunt, concipiunt, sanos et robustos fetus pariunt, qualia permulta apud obseruatores occurrunt exempla et testimonia *m*). Sic, vt hoc vtar, omnis femellarum turba apud Tarpugas in Brasilia per totum vitae decursum non menstruari legitur *n*). Quae si vera sunt, vt esse debent, quia vel ipsae rusticæ idem experiuntur, sequitur, vt haec suppressio nihil roboris vel praesidii ad confirmandam contrariam sententiam adferat. Nam tunc quaerendum fuisset, quomodo fetus fuerit nutritus

*i)* BACKER in Medical. Transf. T. 2. p. 3<sup>r</sup>4.

*k)* VAN SWIETEN Comm. in Aph. Boerh. T. V. edit. Hildburg. p. 9.

*l)* HALLERV<sup>S</sup> Elem. Physiol. T. VIII. p. 248,

*m)* FERNELIVS Pathol. L. VI. c. 26. p. 2. p. 197. HILD. obser. Cent. V. p. 428. ANT. EVERHARD in nouo hom. brutique exortu p. 124.

*n)* GVALT. CHARLETON de causis catam. c. 4. p. 39.



tus, cum talis sanguis menstruus nunquam affluxerit. Sed largi simus. Concedamus, adhuc valde dubitari posse, num omnes isthac in regione menstruis caruerint, et tamen fecundatae sint? perrara etiam esse ista exempla, quae corpus a naturae legibus deflexisse ostendunt; id tamen hinc conficitur, sanguine menstruo non adeo opus esse ad fetum sustinendum. Quin multa exempla mulierum prostant, quae sub ipsa grauiditate fluorem menstruum sunt passae *o*), salvo tamen fetu: id quod contingere non posset, si sanguis maternus eo transportaretur. Multo minus ista mensium suppressio grauidis tot tamque grauia mala pareret, et ob redundantiam sanguinis abortum efficeret *p*), si sanguis ad quendam vitae fetus usum adhiberetur. Sin vero aduersariis sic argumentari placet, aequa nobis quaerere liceat, cur menstrua in ipsis lactantibus feminis supprimantur, in quarum vtero nullus embryo delitefecit? Quod si etiam in hoc contigit casu, consequens est, ut menstruorum suppressionem, tanquam argumentum commercii, quod inter matrem et fetus sanguinis circulatione fiat, certum et indubitatum, nequaquam adhibere possimus, maxime cum posthaec demonstrare annitar, fetus non per sanguinem, sed potius per lac nutriti. Suppressio vero menstruorum sub grauiditate exinde oritur, quod per adhaerentem placentam oscula vasorum obstruantur, ideoque menes amplius non possint emitti. Cuius rei finis est, partim ut lac ex eo sanguine secernatur, partim ut uterus, qui intus est vasculosus, sensim distendatur, atque perparua cuitas, qualis in non grauidis esse solet, sic dilatetur sensim, ut fetus cum secundinis et aqua, intra membranas collecta, contineri possit *q*); quare etiam fetus semper fouetur, et calore incrementum eius promouetur *r*).

## C 3

## §. XIII.

*o*) PETER DIONIS von der Erzeugung etc. B. 2. C. XII. p. 226. v. G.

*p*) SWIETENIVS l. c. T. IV. p. 461.

*q*) SWIETENIVS l. c. p. 455.

*r*) RICKMANN von der Unwahrheit des Vergehens, p. 88.



## §. XIII.

*Haemorrhagiae.*

Alterum aduersariorum praesidium est *haemorrhagia vteri*, ex placentae resolutione, praecipue in abortu <sup>s)</sup>, et exinde concludunt, adfuisse quandam vasorum coniunctionem. Sed plus colligunt, ac par est. Nam talis haemorrhagia non oritur, nisi vtero laeso, e. g. si vehementior iactus vteri grauidi, lapsus grauior, quo vterus valde concuditur, vel vulneratio eius praecessit, aut si vasa vteri nimis sunt laxa, aut si secundae per vim ac violentiam quandam fuerunt auulsae, aut si copia humorum vel prauus habitus corporis subest, interdum etiam vleus in vtero aut vicina parte vasa erodit <sup>t)</sup>. Omnibus his aliisque caussis vterus, incredibile, quantum laeditur, et sic haemorrhagia non ex auulsione placentae, sed ab ipsa vteri laesione oritur, ideoque abortus illius laesisionis est effectus, non causa. Item affirmant, per matris vulnera fetum exsanguem reddi <sup>u)</sup>. Nam puerpera ex lapsu sanguinem omnem perdiderat vnaque fetus <sup>v)</sup>: id quod fieri posse negant, nisi communicatio sanguinis inter matrem et fetum adsit. Sed huic argumento iterum repugnat experimentum cum cane factum, cui mox catulos editurae, venis apertis, sanguis omnis ita effluxerat, ut mortem ipsam obicerit; at dimidia post mortem hora, catuli in vtero viui et sanguine pleni fuerunt reperti <sup>w)</sup>. Immo quotidie videmus, si, relicta in vtero placenta, funiculum umbilici discindimus, non, nisi duas vel tres in placenta contentas sanguinis vncias tum effluere, poste autem totam haemor-

<sup>s)</sup> HALLERS erster Umriss §. 891. p. 491.

<sup>t)</sup> VOGEL de morbis cognos. et curand. §. 303.

<sup>u)</sup> HALLER Element. Physiol. T. VIII. p. 248.

<sup>v)</sup> Nou. Eph. Nat. Curios. Vol. I. Obseru. 165.

<sup>w)</sup> MERY in Hist. Acad. reg. scient. vid. Act. erud. 1719. mens. Aug. gust. p. 342.



haemorhagiam sponte cessare x). Ex qua obseruatione satis efficitur, sanguinis connexionem tales, qualem aduersarii adferunt, non adesse.

§. XV.

*Experimenta per injectiones.*

Tertia aduersariorum probatio a COVPERO repetitur, qui mercurium, in arterias matris impulsū, in venas placentaie iniecit. Sic NORTWICK ab repletis vasis vteri vidit etiam chorii vasa repleta, et placentam ipsam ruberrimam. *Perill.* de HALLER ceram in cellulosa telam, qualis chorion est, impulit. ALBINVS arterias serpentinas vteri sanguine plenas inuenit, vt pro lubitu eum in placentam usque pelleret y). Examinanti mihi ista experimenta et conferenti cum illis, de quibus supra egeram, cum comicō exclamandum videtur z):

*Fecistiis probe:*

*Incertior sum multo, quam dudum.*

Vtraque enim experimenta a summis viris fuerunt instituta, qui certe nec fallere voluerunt, cum viri probi essent, nec facile falli potuerunt, cum ab anatome non rudes iudicandi essent. Hinc cum propria experientia desit, quae sententia amplexanda sit, benevoli lectoris iudicio relinquamus. Tamen quum tam multa a nobis supra enarrata extent argumenta, quae probabiliter ostendunt, nullam tales connexionem adesse, sententia ROEDERERI nobis prae ceteris arridet. Nam inter omnes constat, si res eo deueniunt, ut in utramque partem experimenta agantur, veritas semper obscura et ambigua manere debet; id quod controuersia de sensibilitate partium satis superque docet, cum HALLERVS, HEVERMANNVS, Ill. ZIMMERMANN, aliique Viri Cl. ostenderunt, ligamenta, tendines  
rel.

x) ROEDERER *Abhandl. v. Muttermählern* p. 61. no. 5. BLONDEL  
l. c. p. 101.

y) HALLER *Element. Physiol.* T. VIII. p. 250.

z) TERENT. *Phorm. Act. 2. Sc. 4. v. 19.*



rel. ad partes insensiles pertinere, alii Viri Cl. vt VAN DOEVERN, KRAVSE, HAEN cet. hoc negarunt, experimentis in vtramque partem allatis: Nonne idem forsan et in hac nostra contingit materia? Sed et alii quaestioni hic adhuc locus est, vtrum scilicet celeberrimi viri telam placentae cellulosa tantum impleuerint? Testante enim ROEDERERO *a*), BIDLOO vasorum coniunctionem auguratus est, non autem in ipso corpore humano demonstrauit. NORTWICK quidem narrat, se telam cellulosa placentae cera replesse, at vero et candide profitetur, se per vasa abdominalis in vasa umbilici nihil iniicere potuisse. Etiam si vero per contraria euinceretur experimenta, vasa sanguinea ex utero in placentam transire, omnis tamen horum vasorum usus in eo modo consistere posset, vt placentae inseruirent nutritioni, quemadmodum omnes corporis nostri partes talibus gaudent vasibus sanguineis, vnde nutritionem accipiunt; et talia forte illa sunt, quae a Cl. Viris fuere iniecta. Ceterum lubentissime fateor, me, quae huius communicationis utilitas sit, nondum perspicere, quia mihi saltem vero simillimum est, fetus in utero per lac nutriti, non per sanguinem, ideoque nec per hunc mutari posse corporis habitum, de quo in sequenti §. pluribus exponetur.

### §. XVI.

*Argumenta, quae a priori probant, fetus per lac nutriti.*

Mouent me, vt sententiam de *nutritione fetus per lac* verisimilam putem, argumenta quaedam non proletaria. Nam primum lac aptissimum ad fetus nutriendum est alimentum; id quod ea, quae post partum fiunt, quotidie ostendunt. Deinde per similitudinem, quam vulgo analogiam nominant, id assumere possimus, quia quilibet homo chylo nutritur; quidni et illud in fetu similiter accidat? Si assumas, fetus potius

*a)* I. c. p. 60. no. 4.



potius per sanguinem nutriti, consequens esset, ut illud per sanguinem menstruum efficiatur. Quod si concesseris, quaerere etiam licet, cur natura animalibus *b*), quae absque tali profluvio impregnantur usque fetus nutriunt, melius consenserit, quam hominibus? Deinde si nutritio inde penderet, omnes grauidae mulieres, more solito menstruantes, nunquam viuos edere possent partus, propter detractionem materiae nutritiae; id quod quotidianae experientiae repugnat. Nam citra sanitatis vel vitae dispendium istae feminae sanos emituntur fetus *c*). Porro experientia confirmatur, mulieres non paucas, quibus parce menses profluent, ad vncias scilicet tres vel quatuor, fetus nihilominus praegrandes et robustissimos in lucem edere *d*); quod fieri neutiquam posset, si ex tantilla sanguinis copia tam magna fetus moles spatio nouimestri deberet nutriti. Testimonium magni SWIETENII meam confirmat sententiam, qui se plures embryones examinasse ait, vna cum membranis et placenta excusflos, nec tamen in ipso embryonis corpore, nec in membranis, nec in placenta, ruborem aliquem potuisse detegere *e*). Et certe si rem rite consideramus, sanguis maternus multo viscidior est, quam ut ad fetus nutritionem aptus esse possit. Tali enim transfusione fetus multo magis periret, quam adulti, in quibus experimentum transfusionis, cum vitae discrimine fuit institutum *f*). Quibus rite perpensis, concludere licet, sanguinem maternum potius hunc usum praestare, ut ab illo lac et reliqui tenuiores humores, nutriendo embryoni apti, secernantur. Quae sententia rursus eo confirmatur, quod menstrua supprimuntur in lactantibus, in quibus sanguis manifeste ad augendam lactis secretionem impen-

*b*) SCHVRIG Embryol. Sect. I. C. I. p. 6.


*c*) HENR. SNELLE Delineat. Theor. mechan. P. 2. p. 112.

*d*) EVERHARD. I. c. p. 125.

*e*) I. c. p. 455.

*f*) RICKMANN I. c. p. 93. seq.





impeditur; in puerperis vero purgamenta partus imminuntur, simul atque lac in mammas penetrat. Nec minus nostrae opinioni fauet mira vteri ac mammarum consensio, qua si vna pars patitur, altera simul afficitur. Sed haec de argumentis a priori, ut aiunt, dixisse sufficiat. Iam progrediamur ad ea, quae a posteriori repetuntur.

### §. XVII.

*Argumenta, quae a posteriori ad nostram sententiam confirmandam valent.*

Primum *cotyledonum* exemplum in ruminantibus eiusmodi quid suadere videtur, in quibus manifestum est, inter matrem et fetum non sanguinis, sed lactis esse commercium *g*). Huc etiam faciunt testimonia Cl. virorum, qui in placentae recentis superficie *materiam lacteam* viderunt et *vasa lactea* in placentae papillis reperierunt *h*). Id quod etiam confirmat RICKMANNVS, usus exemplo medici Gröningensis, nomine BRIEL, qui in secundis verum lac coagulatum ostenderat *i*). Chylum etiam ab pressa placenta stilifasse narrat VAN HORN *k*). Neque minus hanc meam sententiam firmam reddit obseruatio, qua *mammillae recens natorum infantum* lacte seroso ita turgent, ut si non tempestue ac rite exprimantur, indurentur, inflamentur ac suppurent *l*). Porro si exempla infantum absque funiculo umbilici natorum vera sunt *m*), certe nemo dubitabit, fetum per liquores lymphaticos, e. gr. liquorem amnii, nutriti possesse, absque ullo sanguinis ope. Via vero et ratio, qua mihi hanc

*g*) HALLER Element. Phyl. T. VIII. p. 241.

*h*) VIEVSENS post Verheyn, p. 40. DEIDIER Anat. raison. p. 413.

*i*) l. c. p. 96.

*k*) Praelect. p. 38.

*l*) RICKMANN l. c.

*m*) M. N. C. Dec. I. An. 3. Obseru. 169. p. 325. Et Decad. II. An. 7. Obs. 209. p. 392.



hanc nutritionem cogito, haec est. Ex ovo foecundato tenuia proueniunt filamenta, ad fundum vteri adhaerescentia, suntque verisimiliter vasa lactea, quae nutrimentum insunt; post haec placenta nascitur, cuius connexio cum vtero per foueas et elationes extra omnem dubitationis aleam posita est, et sic minutissima vteri ac placentae vascula inter se concrescunt. Maxima autem pars sanguinis vel succi lactei ex arteriis vteri in placentae transsudat cellulas, et per oscula in ramos inhalantes placentae, sanguis fetus autem ope arteriarum umbilicalium ad placentam defertur, et per venam propriam reuehitur. Per has circuitus leges nouus chylus cum sanguine miscetur, et fetus rite nutritur <sup>n).</sup> Ceterum nostrum non est, litem physiologorum, de commercio matris et fetus per sanguinem et de fetus nutritione dirimere. Satis nobis est ostendisse, aduersarios vehementer falli, dum pro certo ac firmo assumunt, fetum ac matrem inter se iungi per sanguinis in orbem fluorem; ideoque nec inde repetendas esse naeuorum origines. Nam alia adhuc nobis supersunt argumenta, quibus efficitur, posito ac concessso etiam tali commercio, imaginariam matris ideam tales effectus nunquam edere posse.

### §. XVIII.

*Argumenta contraria, quae euincunt, ideam imaginariam per sanguinem propagari haud posse.*

Res externae dupli modo nostros sensus feriunt, vel immediate, e. g. in tactu et olfactu, vel mediate, dum per materiam quandam intermedium propagantur, e. g. in visu et auditu. Hoc autem negotium peragi non potest, nisi ope neruorum, in quos res externa ita agit, vt succus eorum ad cerebrum deferatur; cuius peculiare quoddam punctum quilibet nerus ita afficit, vt ex perceptione inde nata anima praesentiam corporis agentis et qualitates animaduertat.

D 2

Ex

<sup>a)</sup> RICKMANN I. c. p. 94. BLONDEL I. c. p. 104.



Ex his colligitur, analogiae prorsus repugnare, sensationes per sanguinem sine nervis propagari posse. Deinde, fac, vasa matris cum fetus vasis esse arctissime coniuncta; fac, inordinatum sanguinis materni motum ab aspectu quodam rei inopinatae vel foedae excitari; fac denique, sanguinem per placentam in fetus aut nimis celeriter, aut nimis lente propelli, nunquam tamen inde licet intelligere, quomodo inordinatus ille motus in eadem corporis parte potius, quam mater tetigit, efficax sit, quam in vlla alia. Maternus enim sanguis maxime in cor fetus defertur, exinde eadem vi eodemque impetu in omnes eius partes, ibi operaturus, vbi minimum resistitur o). Porro impetus sanguinis materni frangi ac quasi sisti debet in placenta, antequam fetus attingat. Quid? quod vel ipsa longitudine funiculi umbilici incitatus sanguinis motus reprimitur eiusque directio mutatur ita, ut sanguis omnem vim nocendi amittat, cum temperato motu nunc ulterius progrediatur. Porro nulla natura ratione praedita in sanguine residet, quae membra vel discernere pro lubitu, vel secundum phantasiae vim mutare possit p). Casu ergo haec cutis deformitas fieri debuit; hinc profecto mirum est, quod in mero casu omnia ad leges fictas accident. Si assumimus, phantasiam per sanguinem propagari posse, tunc etiam fatendum est, circuitum sanguinis animi imperio esse subiectum. Sed hoc affirmare, esset perridiculum, ut iam supra ostendimus q), ideoque ex his etiam MALEBRANCHII sententiae confutatio prono sequitur alueo.

### §. XVIII.

#### MALEBRANCHII Hypothesis.

MALEBRANCHIUS, summus ille philosophus, docuit, fetus intime connexum cum matre esse, partim per nervos, partim

o) HALLER Element. Physiol. T. VIII. p. 129.

p) BLONDELL I. c. p. 99.

q) Physic. Briefe von der Einbildung. Kraft recens. in 3. merckwürd. Abhandl. etc. Argent. 1756. p. 378.



partim per sanguinis circulum, eaque connexione effici, vt etiam fetus, quae mater viderit, oculis percipiat <sup>s).</sup> Ad confirmandam sententiam exemplum adfert iuuenis, cui omnia ossa fracta fuerint, sola vi phantasiae maternae, quia mater reum quandam crucifragio plecti viderat, et explanationem huius phaenomeni tali modo tradit <sup>t).</sup> Singulos ictus, quibus ille miser fuisset affectus, phantasiam matris vehementer affecisse, et per consensum cerebrum fetus etiam fuisse affectum, etiam fibras materni cerebri vehementer concusas. Quae, quia satis essent validae ad resistendum, immunes mansissent damno, fibras contra cerebri fetus propter debilitatem succi neruei impetum non sustinuisse, ideoque, destructis iis, fetus mente fuisse captum. Porro inter tam horribilem aspectum spiritus animales incredibili perniciitate ad easdem matris partes ex consensione latos fuisse, maxime ad ossa; sed haec satis firma frangi non potuisse, ideoque potius ossa fetus. Ex his ergo argumentis Vir Clariss. concludit, omnes naeuos ex eadem ratione esse explicandos, atque mulieribus auctor suasorque est, vt in quolibet terrore occultas fricent partes, vt nempe naeuus ibidem prodeat, in facie autem nullo modo.

### §. XX.

#### *Ad istam hypothesin animadueriones.*

Multa sunt, quae hanc hypothesin amplecti non sinunt. Primo fetus quidem in vtero esse inclusum, et per humores matris nutririri, facile concedimus; at vero fetus cum matre non unum corpus constituit. Animus matris neutiquam fetus corpus, prouti lubitum fuerit, dirigere potest. Embryoni sius est animus, et tantum eo fine cum vtero connectitur, vt nutrimentum attrahat. Propterea non assumere possumus, matrem a fetu cerni, vel cogitationes matris cum fetus

D 3

fetus

<sup>s)</sup> Von der Wahrheit p. 227. V. G.

<sup>t)</sup> l. c. p. 232. seq.



fetu communicari, quia defunt nerui, cogitationum matris ad fetum perferendarum administri. Ergo tantum via per vasa sanguinea supereft, sed ne per illa quidem, vt supra ostendimus, idea imaginaria propagari potest. Nemo vero profecto prudens affirmare ausit, cerebrum fetus simile esse cerebro matris. Nam summa imbecillitas omnium facultatum animi, quam in infantibus animaduertimus, satis superque ostendit, maximam cerebri diuersitatem inter adulatum hominem et infantem debere intercedere. Quae si datur, consequitur, vt etiam alia adsit dispositio sueci neruei, et sic ipsi spiritus animales, si forte a matre in fetus peruenient cerebrum, omnem directionem et impressionem amitterent. Quin ex ista hypothesi parum proficimus. Fac enim, fibras materni corporis ad quasdam ideas certo in loco affici, et secundum illas ideas deferri per corpus quosdam appositos spiritus, quid inde? Mater concutitur, non mutatur, et infans mutatur tamen? Ideone infans, quamdiu in utero matris est, eosdem motus easdemque ideas habet? Hic Rhodus, hic saltato. Demus tamen; sed unde ossa infantis franguntur, non matris? Dicit, ossa affici a percussione et horrore; sed hic effectus est, non cauſa, nec patet, quare matris ossa non frangantur, quae longe duriora, adeoque magis fragilia sunt? quare talis naevus non appareat potius in matre, quam in fetu? Ergo ex hoc commento cauſa tantae mutationis nondum est euicta u). Ex his satis superque elucet, hypothesin de effectu phantasiae maternae minime esse firmam, et omni exceptione maiorem. Sunt tamen alia dubia, quae ab Cl. Aduersariis nostrae sententiae obiici solent, nostrique est, haec candide percensere.

### §. XXI.

#### *Similitudo parentum.*

*Similitudine parentum* vtuntur aduersarii ad nostram sententiam refellendam, rati, eam per phantasiam solam effici.

Haec

u) BOERHAVE paelect. de morbis neru. p. 465.



Haec hypothesis longe est antiquissima. Nam **HELIODORVS** narrat, Aethiopiae reginam, **PERSIDEM**, **ANDROMEDAE** imaginem saepius aspexisse, eo praecipue tempore, quo ex amplexibus mariti ingrauidata esset, ut nempe similem sobolem procrearet. Idem **SORANVS** medicus de **DYONYSIO**, Siciliae tyranno, refert, qui cum foedus aspectu homo esset, ne similem sui pareret vxor, eadem vſus industria est, affirmante S. **AVGVSTINO** v). Tale quid etiam narrat **OPPIANVS** de Lacedaemoniis, penes quos moris sit, vxoribus prae-gnantibus ob oculos statuere splendidas formas eorum scilicet adolescentum, qui olim inter homines emicuerunt, et sic effi-cere, ut formosos puellos pariant w). Quin **EMPEDOCLES** eidem illi opinioni fuit addictus, cum statueret, imaginatio-ne mulieris inter concipiendum formari fetum talem posse, qualis esset res vel imago, quae menti obuersaretur. Saepe enim imagines et statuae a mulieribus dicuntur adamatae, similiisque earum proles in lucem edita, attestante **PLVTARCHO** x). A quorum partibus etiam **GALENVS** y) stat, ob lepidam historiam, quam de quodam deformi et opibus potenti, et qui vellet formosum procreare puerum, narrat. Is depinxit sibi in lato ligno elegantem alium puerum, curauitque, ut mulier inter coeundum illam picturam diligenter inspiceret. Haec autem defixis intueni oculis, et, ut ita dicam, totam illuc-mentem aduertens, infantem non patri, sed picto puello similem peperit. Huic opinioni etiam assentit c. **PLINIVS SECUNDVS** z) et **EBN. SINAS** a). Prae ceteris liceat nobis **SCHENCKIVM** b) allegare, talia proferentem. *Imaginatio-nis*

v) L. 5. aduers. **IVLYAN.**

w) Cynegeticon L. I. v. 357.

x) De Placit. philof. L. V. c. XII. Vers. **GVL. XYLANDRI** Franc. 1620.

y) In Libro de Theriaca ad **PISON.** Edit. **CHARTER.** T. XIII. C. II, p. 946.

z) Nat. Hist. L. VII. C. XII. p. 110. Edit. **FROBEN.**

a) Fen. 2. L. 1. Doct. 2. C. 14. p. 68. Edit. **Bafil.** 1556.

b) In **Obseru.** Medic. rarer. p. 564.



nis tanta vis est, ut quae sub ipso momento conceptus phantasiae obuersantur, in fetus elaborentur. Cum enim is sexus lascivus sit et ludibundus, atque oculos in obuia quaeque continenter defigat, sit, ut naturalis facultas, quae operi formando perficiendoque insit, eo cogitationes dirigat, atque ascititiam formam infanti inducat. Sic obseruatum est nostra et auorum memoria, cum CAROLVS V. ex Hispania in Belgum instrudissima classe esset delatus, mulieres, quae passim gestabant utero, ex crebro Hispanorum contuitu infantes edidisse, illi nationi undique assimiles, non quidem triobolares, sed spectatae probitatis atque incorruptae pudicitiae matronas. Ecquis fanti mulierculae talia non credat?

### §. XXII.

#### *Animaduersiones ad hanc theoriam.*

Ego vero in partes tantorum virorum transire non possum. Nam experientia quotidiana constat, quam pronae ad venerem sint mulieres, et quanta voluptate perfundantur ob sensibilitatem genitalium inter coeundum. Sic omnes spiritus animales ad naturalia quasi confluunt. Omnis phantasiae vis sensu, non aliis rebus est occupata. Mens soli rei venereae intenta, praeterea nox vel lux exigua, nec non se iunctio a rebus externis, efficit, ut desit occasio rei alienae imaginem effingendi, vel tale quid cogitandi, ex quo magnum desiderium, aut terror, vel alia perturbatio sequi possit. Et si etiam metus, dum vetitis fruuntur voluptibus, mulieres paullum possit afficere, tamen calide omnia ita disponere norunt, ut voluptate perfecta fruantur. Porro boni illi viri vim aliquam imaginationis stricem defendant necesse est, quae autem, ut supra dixi, nuspian est, et si reuera esset, tamen anima matris ubi in contemplatione externae rei est occupata, spiritus animales in cerebro residerent, in partibus genitalibus vero vel admodum parci, vel nulli forent, ergo nulla veneris cupiditas, nullus stimulus, tuncque vehementer dubito, an femina cipiat.



cipiat. Quin si phantasia similitudinis est effectrix, quidni non semper id efficit? Cur experientia quotidiana satis abundeque contrarium declarat? Multae mulieres infantes pariunt, auis et proavis similes, quos nunquam viderunt, similiterque castiores sultanae, inter tot horridos nigritas commorantes, pulcherrimos albosque pueros *c).* Quo certe exemplo satis euincitur, phantasiam matris nihil ad similitudinem conferre. Ex his ergo concludo, similitudinem pendere ab diuersa euolutione per solum semen viri, et infantes ab eodem, cui maxime similes sunt, etiam videri procreatios. Quare ut dicam aperte, quae sentiam, omnis illa fabula de similitudine, per phantasiam effecta, callidarum femellarum inuentum est, vt eo melius fallant incautos credulosque maritos, qui Lucretias se socias tori habere putant, Agrippinas praeter spem atque fraudem inueniunt. At vero medici, cum viderent, hanc opinionem paci atque concordiae coniugum multum fauere, forte argumenta quaedam in medium attulerunt, vt verè gratosi viderentur. Hinc facile praeuideo, praeiudicatam illam de viribus phantasiae in sexu sequiori opinionem eradicatum nunquam iri, ideoque et mulierum amores semper in saluo fore. Nam (fatebor enim) tota doctrina est incerta, et plures dantur infantes matri similiores, quam patri. Vnde vero hoc eueniat, equidem iam definire non ausim. Dauus sum, non Oedipus. Item si quae vxores maritos cornutos velint, haud raro artificium *IVLIAE*, filiae *AVGVSTI*, imitantur; quae etsi multos habuerat amatores, tamen semper infantes peperit, marito similes. Vetito enim concubitu non fruebatur, donec a marito gruividam se esse fenserat *d).*

### §. XXIII.

*c)* HALLER Element. Phys. T. VIII. p. 131.

*d)* VENETTE von der Erzeugung, p. 480.

E



## §. XXIII.

*Argumentum a grauioribus animi motibus sumtum refellitur.*

Cl. KRAVSE, quem inter huius doctrinae propugnatores non ultimum esse omnes sciunt, contendit e), animi perturbationes momento citius per omnes corporis humani partes propagari; quidni etiam, inquit, per vehementem phantasiae maternae viu tales naeui effici possint? Fac igitur, animi commotiones magnas in corpore turbas excitare posse, nonne hoc neruis potissimum debetur, quia sine his nulla animae potestas est agendi? Sunt vero in funiculo nulli, ergo nec corpusculum fetus temere mutari potest: Id quod ex antegressis satis liquet. Porro obiicit vir Cl. f), vehementes animi motus inueteratas obstrukciones viscerum et vasorum coalitum in corpore adulti hominis resoluisse: ergo etiam facilime idem in corpore fetus tencrimo contingere debere. Sed primo mirum profecto est, cur nulla pars materni corporis mutetur? deinde impetus per animi perturbationes exortus, etiam si in fetum deferatur, valde est debilitatus, ideoque tam incredibiles conuersiones excitare nequit; tandem vellem equidem scire, quid sit, quod pars altera p[re]a altera vehementer immutetur, cum tamen impulsio eadem sit. Et tunc adhuc dubium est, quare animi motus in infantibus recens natis tales non producant naeuos, etiam si eadem teneritudo, eadem partium constitutio iis insit, maxima autem rerum nocentium vis circumstet.

## §. XXIII.

*Aliae meditationes, nostrae sententiae fauentes.*

Neque vero hic subsistamus, cum plura supersint defendendae doctrinae praefidia. Compertum habemus, conceptio-

e) l. c. §. 38.

f) l. c. §. 39.



ceptionem sine vla animi voluntate contingere; nam per multae sunt honestae mulieres, quae ardentissimis precibus prolem exoptant, et medicos identidem hortantur, vt vota rata esse iubeant, (quasi vero hoc sit penes medicos, vt votis satisfiat) contra aliae concipiunt inopinato et inuitae. Deinde non licet mulieribus, vel pueros, vel pueras pro lubitu procreare, etiamsi impense cupiant. Haec vero fieri deberent, si vis phantasiae tanta esset, quantam aduersarii existimant ff). Porro per experientiam confirmatur quotidianam, nonnunquam naevos diuersissimis rebus similes reperiri, etsi mulieres, omni etiam attentione adhibita, nullum casum, tanquam caussam eiusmodi vitii, in memoriam reuocare possunt, immo saepissime in iis reperiuntur partibus, quae mulieres vestibus operiunt, ideoque nec manu tangi possunt. ROEDERER g) vidit, qui figuram cerasi cet. habebant sine aliqua antegressa fortiori imaginaria idea. Sic etiam RICKMANNVS h) ait, se infan tem vidisse, qui in collo naeuum crinitum cuti muris non absimilem haberet, mater vero interrogata respondit, se nullum murem sub grauiditate vidisse, nunquam de tali animalculo cogitasse, nunquam terrore percussum esse. Si ergo naei sine his oriri possunt, iure exinde concludimus, tales procreari non ab phantasiae maternae vi, sed a quacunque re alia. Animi contentiones, etiamsi vehementissimas, nullos produxisse naevos, tametsi grauida valde fuerit affecta, et de futuro in corpore infantis vitio sollicita, innumerae prostant obseruationes. RICKMANNVS i) mulieris grauidae meminit, quae in concione sacra diligenter ad spexerat aliam, ingenti naeuo in facie notatam. Quo foedo aspectu incredibiliter perterrita, huius vitii obliuisci

E 2

plane

ff) BLONDEL l. c. p. 64.

g) l. c. p. 77.

h) l. c. p. 58.

i) l. c. p. 46.



plane non poterat, et semper hac de re fabulabatur. Aliquot hebdomadibus post rursus templum frequentauit, ac, eadem visa muliere, ita animo percussa est, ut non amplius aedes sacras adire auderet. Tandem peperit, mirum dictu! infantem pulerum, in quo nullum naeui vestigium deprehendebatur. ROEDERER <sup>k)</sup> narrat, se multas vidisse mulieres variis rebus inopinato viuis valde perterritas, sine vlla fetus noxa vel labe. Quaedam mulier, viso homine conuulsionibus infestata, tota tremuit, de fetu, quippe quem credebat conuulsionibus fore obnoxium, valde sollicita. Sed res aliter cecidit. Cl. PLENCK <sup>l)</sup> etiam notabile affert exemplum. *Obstetricaui*, inquit, *illustrem mulierem, cui nus viuus ex arca, quam subito aperiebat, in mammam insiliit, p[re]ter timore animo fere linquebat, atque a tertio grauiditatis mense cum tota familia vehementer naeuum murinum in infante timuit; praedixi nil timendum esse, et praeter omnium opinionem pulchram, omniq[ue] naeuo carentem enixa est puellam.* Quare si impulsio talis accidere potest, neque vero fetus inde notatur, sequitur, vt nec imaginatio pro fabricatrice naeuorum sit habenda. Ad huius argumenti vim infringendam Cl. obiicit KRAV-  
SIVS <sup>m)</sup>, non esse necessarium, ut semper idem effectus, ex vna eademque proueniat causa; nec adeo quemuis concubitum fecundum esse et fulmina saepe bruta. Cui exceptioni ita respondemus. Res circumstantes saepissime euentum variare solent, hinc cauassam eandem non semper idem sequitur effectus. Ideoque per congressum primum ouulo fecundato, et vteri orificio clauso, insequentes congressus fecundi non erunt; et si fulmen per electricam quandam machinam aut aliis artificiis tecto fuerit deriuatum, vel non satis materiae habeat, tunc etiam nullum exoriri potest incendium. Sed alia res est in hac nostra quaestione, quam ita diiudicandam esse censeo. Vna eademque cauassa, positis iisdem rebus circumstantibus, semper vnum eandemque producere

<sup>k)</sup> l. c. p. 78.

<sup>l)</sup> De morbis cutaneis p. 34.

<sup>m)</sup> l. c. §. 8.



ducere debet effectum. Cum ergo ut ex allegatis exemplis patet, vehemens terror et valida imaginaria idea corpus percussit, neque vero naeius est secutus, iure meritoque possumus concludere, aduersarios caussam certam existimare, quae caussa non est, eaque de re ne phantasiam maternam quidem naeios generare posse.

§. XXV.  
*Continuatio.*

Pessime profecto hominibus consultum foret, si phantasia materna talia miracula efficere posset. Tunc in toto terrarum orbe hominum naeuis foedatorum innumera multitudo existeret, quum nulla datur mulier, quae non sub grauiditate ista mala perpessa sit. At vero, experientia teste atque magistra, naeui, qui aliquam similitudinem cum figura visae rei habere putantur, sunt rarissimi n). Quin aduersarii inter se coniungunt, quae vna consistere nequeunt, dum imaginationem maternam duobus contrariis affectibus, vnum eundemque producere effectum posse contendunt, e. g. infans alter naeuum conchae similem in corpore habet, cuius ratio subest, quod mater grauida conchas vehementer appetebat, alter vero infans simili est notatus naeuo, quem inde narrant ortum fuisse, quia mater a conchis abhorruerit. Praeterea perlubenter equidem confiteor, animi motus, v. c. iram, terrorem, desperationem rel. incredibilem vim corpori inferre omnemque machinam destruere posse; illud vero plane incomprehensibile esse videtur, quomodo suaves animi affectiones naeuum in fetu lignere possint, v. c. Consideratio gratae cuiusdam imaginis. Nam mutatio, quae exinde in succo nerueo et sanguine ipso oriri solet, tam est exigua, vt nullo modo tantam in fetus corpore conuersionem excitare queat. Denique plantarum exempla, in quibus absque terrore, sine vlla phantasiae vi, perinde copiofissima monitra subnascuntur, colorum varie-

<sup>8)</sup> BLONDEL I. c. p. 40. et PLATTNER Anthropol. p. 183.



tates, poma grauida, poma foliis coronata, flores mutatis  
ftaminibus rel. contrariam sententiam dubiam reddunt. His  
enarrant, facile est ad perspiciendum, argumenta aduersa-  
riorum a priori sumta nihil comprobare posse. Quare  
etiam magnus BOERHAVVS <sup>o)</sup> aperte ac candide fatetur, se  
modum effectus ideae imaginariae plane ignorare, ideoque  
statuit, melius esse in facti veritate consistere, quam temere  
fingendo naturam tollere. Et SWIETENIVS <sup>p)</sup>, item KRÜ-  
GERVS <sup>q)</sup>, existimant, cum multae de hac re ab auctoribus  
fide dignissimis allegatae sint obseruationes, neque vires  
naturae satis explicitae atque perspectae, ideo facta  
negare simpliciter haud licere. Igitur nunc nostrum est,  
haec obseruationes perlustrare, et fidem probabilitatem  
que diuidicare; quod difficile ac arduum opus in secundo  
capite pro viribus aggrediar.

C A P V T II.  
OBSERVATIONVM HISTORICARVM  
E X A M E N.

§. XXVI.

*Introitus.*

Cogitanti mihi innumerum historiarum et obseruationum multitudinem, quibus aduersarii cum e plebe, tum e docta familia, sententiam de naeuorum ortu corroborare student, horret profecto mens, atque capilli stupent. Neque temere. Nam ferrea prorsum opus esse videtur diligentia et incredibili labore, ad perlegendas omnes istas lepidas historiolas, et maximo volumine, si velimus eas omnino omnes huc transcribere, et fere illud poetae hue accommodes:

*Promtius*

<sup>o)</sup> BOERHAVE De morbis neruorum p. 467.

<sup>p)</sup> SWIETENIVS Comment. T. III. p. 406.

<sup>q)</sup> Naturlehre P. II. p. 816.



*Promtius expediam, quot amauerit Hippia moechos,  
Quot Themison aegros autumno occiderit uno,*

quam quae hoc de argumento dicta vel scripta prius sunt, colligere ac diiudicare. Deinde tam multiplex ac diuersa horum factorum natura est, vt diuinum ingenium requiri videatur ad perspiciendam satis eorum vim ac indolem. Qua de cauſa ne iſta commenta prorsus praeteriſſe iudicer, ſufficiat partim generalioribus quibusdam argumentis probabilitatem historicam talium factorum impugnare, partim quaedam ſpecialia exempla quam diligentilime perueftigare, vt intelligat optimus quisque et a partium ſtudio alieniſſimus, quid recte de his ſentiendum fit.

§. XXVII.

*Contrariae obſeruationes omnem fere historicam probabilitatem excedunt.*

Supra multis oſtendimus, per neruos ſolos animi impe- ria propagari in omne corpus, illos vero nec in placenta, nec in funiculo eſſe, ergo nec hac via transferri matris ideam vlo modo poſſe. Item commercium per circulum ſanguinis valde eſſe dubium, neque etiamsi aderet, unquam eiusmodi naeuum procreare poſſe. Cum ergo nullus modus talis propagationis demonstrari potheſt, tota cadat probabilitas historicā neceſſe eſt. Quis enim credat SAL- MVTHO r) narranti, feminam per fellationem a viro initam in ventriculo concepiſſe infantem, et per vomitum reieciſſe? Nam talis conceptionis modus cogitari non potheſt, quia nec ouila ibidem latent, nec ventriculus ſine quadam fermentatione vel, ſi maiis, deſtruotione ullam carnem retinet, multo minus, quod idem auctor narrat, grauidam pestilenta decubentem, ex appofitu ranarum puellam enixam eſſe, cuius minor digitus dexterae ranam repræſentaret. Nam etiam

r) Cent. I. Obſeru. Med. 95. p. 57. et Cent. III. Obſ. 94. p. 156.



—————

etiam hic nullus modus formationis talis per phantasiam mente comprehendi vel excogitari potest. Quis, quaeso, fidem adhibeat fabulis de conceptione mulierum sine concubitu <sup>s)</sup>, et si testimoniis nituntur auctorum, cum hac re nihil falsius sit, et ad velandam illicitam venerem mire valeat? Quis etiamnum ferat succubos et incubos, qui concubere olim cum mulieribus dicebantur? Etenim ne dantur quidem tales incubi: et quomodo spiritus scilicet cum muliere concubere possit, etiam nemo perspicit. Hinc egregie fallitur maritus, si fraudem vxoris non subolfacit. Ex quibus consequitur, etiam doctrinam de naevis inter talia commenta pertinere, quia euentus rationi aequa ac experientiae et obseruationi repugnat, dum quaedam corporis partes declinabant sine vlla praegressa materna idea, in aliis vero casibus, vbi talis phantasia antecesserat, nullus tamen naevus sequebatur, ideoque concludimus, omnes istas narratiunculas, vt pote a vero deflectentes, esse perridiculas ac prorsus spernendas.

### §. XXVIII.

*Multae historiae tantum in traditione vel peruersa facti narratione sunt fundatae.*

Fere omnes obseruationes de naevis, ab phantasia matris productis, valde sunt fallaces atque incertae. Nam plerumque tantum ab obstetricibus commemorantur, sine vlla indagatione ac exploratione diligent, vtrum haec assertio satis fundata sit, nec ne? Semper enim obstetrics talem naeum ab phantasia fuisse ortum clamitant, neque mater, hac in re ipsa mente et praeiudicio aegra, tali sermoni obloquitur. Vbi infans naevo praeditus adoleuerit, tunc omnes hunc naeum adspiciunt, adstupent, admirantur, incredibili cum loquacitate innumera exempla de mirifica phantasiae vi narrant, et sic haec pestifera praeiudicia potestas mentibus omnium

<sup>s)</sup> Cf. Lib. *Lucina sine Concubitu*, Lips. 1768. et III. GRVNER Diff. de Cauſ. Impotent. §. 10. p. 22. seq.



omnium imprimitur, ut quiduis potius, quam hanc naeuorum originem sibi extorqueri patientur, de quo lepide RICKMANNVS t). Plebeculae ac mulierculis errorem lymphaticum libenter ignoscere licet, medicis vero, qui rei caussas cognoscere poterant, nullo modo, praesertim cum fere omnia facta ita narrant, ut lector credere possit, vitium illud iam sub grauiditate fuisse factum, et post partum euentum facto respondisse. Sed nihil tali relatione est fallacius. Nam reuera naeui ab aliis caussis fuerunt producti, quos auitum praeiudicium ab quadam re visibili ac tangibili deriuauit, et fama mirifice auxit. Exemplo nobis sit factum a BOERHAVIO u) allegatum. *Vidi dominam, inquit, quae grauida in horto petebat fructum mori pulcherrimum, quem videbat in arbore; forde cadit unus in apicem nasi; mox illa fricat naseum; parit deinde puellam, qua vix pulchrior, sed quae in nase apice perfecte habebat morum cum aciniis adstantibus, qualem pictor melius non posset pingere.* In quo facto narrasse sufficiebat, nobilis domina infantem peperit, qui aliquid mori simile in nase apice habebat; at praestabat omisissae naeui caussam et ortum, quia longe alias esse debuit, et praesertim eam adhuc ob caussam, quod nulla hypothesis per testimonia comprobari potest.

### §. XXIX.

#### *Quaedam historiae superstitionisae sunt et fraudulentiae.*

Superstitionem omnium praeiudiciorum esse fortissimum, inter omnes constat. Per quam hoc loco intelligo opinionem vulgi, qua naturales rerum effectus ex supernaturalibus ac mirificis caussis oriri contendit. Haec (incredibile dictu), semper mirabilia induxit facta, spectra, sagas, fascinationes rel. Quid ergo mirum est, eiusmodi praeiudicio captos eruditos credisse, monstra daemonum arte et vaframento posse gigni, v. c. ex muliere anguem vel

F

canem,

t) RICKMANN l. c. p. 84.

u) l. c. p. 462.



canem, eaque diuinam vindictam, bellum, pestilentiam  
cet. portendere? Exemplo sit AMBROSIUS PARAEVS *uu*),  
*qui narrat a. 1254. Veronae equam, pullum equinum peperisse,*  
*cetera quidem equum, sed humana plane facie, et paullo post bellum*  
*inter Tuscos et Pisanos exarsisse, quo uniuersa fere Italia confla-*  
*graret.* Plerumque etiam subest aliqua fraus, quemadmo-  
dum in nostra de naevis materia, dum e. g. puerilla sancto  
IOANNI baptistae similis *v*), alias diabolo similis natus esse  
fertur *w*). Etiam historia, quam MALEBRANCHIVS *x*)  
refert, huic pertinere videtur, ubi infans similis fuerat sancto  
PIO. Sed valde vereor, ne haec fabula cum ea, quam  
ROEDERER de puer narrat, simili imaginis quae infantem  
CHRISTVM referebat, ex uno fonte fuerit ortum *y*). Quae  
enim vis diuorum ac geniorum imagunculis ac statuis insit  
in similitudinem fetus, equidem non video. Sed multi super-  
sunt IOANNES, auctores, ni fallor, huius similitudinis.

### §. XXX.

#### *Multa a peruersa phantasia, vel potius praecipitantia iudicii profecta.*

Naeui figuram saepissime fingit vulgi phantasia, quo-  
modo cunque velit, et acriter defendit: cum contra obser-  
uator praeiudicis expers, eundem quandam declinatio-  
nem ab habitu cutis naturali esse doceat, minime autem  
similitudinem quandam inter imaginem rei visae et naeuum  
ipsum inueniat. Fac vero, obseruatores ex praeiudicio fa-  
bulam cum hoc conciliare velle, ac defendere, quae vn-  
quam dicta vel scripta esse norint; quid, quaeso, fingere non  
liceret, prout libitum fuerit, videre, quae nusquam sint? Naeui  
ideo

*uu*) In operibus chirurgicis Francof. 1594. L. 24.

*v*) BLONDELL l. c. p. 139.

*w*) ibid. p. 153.

*x*) l. c. p. 234.

*y*) loc. cit. p. 75.



ideo et monstra in specie sic dicta vnam eandemque sunt experta fortunam. Nam tam supersticio, quam peruersa phantasia, in quolibet monstro imaginem cuiusdam animantis, daemonis cet. inuenit. ROEDERER <sup>z)</sup> puellam quandam vidit, quae in fronte maculam subrubram gerebat, et, ut ferebatur, ortam ex terrore matris ab incendio. Sed ROEDERER nullam similitudinem maculae cum igne obseruare potuit. Qualem ridiculam vero figuram vulgus saepe sibi repraesentet, ostendit luculenter LVDWIGIVS.<sup>a)</sup>: *Allatus fuit porcellus mortuus*, inquit, *cuius caput ex opinione vulgi faciem humanam referebat*. *Cum autem omnes partes capitatis accurate perlustraremus, nemo vestigium aliquod humanae faciei cognouit*. Vnde cognosci poterit, quam ridiculae naeuorum figurae saepissime per phantasiam excogitari soleant, et quam parum testimoniis a similitudine eorum cum quadam re sumtis sit credendum. Nam si in infante talis obseruatur, tunc mater ex praeiudicio vulgari aliquam similitudinem se reperisse putat, et forte sub grauiditate aliquis casus potuerat contingere, quem nunc ad naeui originem explicandam applicant credulæ matres credulique medici. Perlubenter enim assentimur, vbi res nostra agitur.

### §. XXXI.

*Plurima auctorum testimonia tantum in quadam hypothesi firmanda consistunt, ideoque valde incerta sunt.*

Tantum fere omnes contrariae opinionis fautores fuent eidam hypothesi, quam solam veram et omni exceptione maiorem esse existimant. Sed haec ipsa, quod ex precaria assumptione phaenomena explicat, fidem obseruationum plane tollit, certe valde minuit. Amore cuisdam hypothesis capti homines omnia praeiudicia defendunt,

F 2

omnes

<sup>z)</sup> loc. cit. pag. 73.

<sup>a)</sup> De fallaci iudicio vulgi p. 12.



omnes euentus pro lubitu effingunt vel distrahunt, et sic ridiculum profecto genus hominum nihil videt, quam quod ad suffulciendam opinionem praecognitam valet. Sic STAHLLI asseclae ubique garriunt animam et haemorrhoides, more amantium, qui amasiam semper ante oculos habent b). Quid hac ex re necessaria consecutione efficiatur, illico liquet. Alii enim naeuis vtuntur ad probandam vim phantasiae strictricem, vti THEOPHRASTVS PARACELSVS: Alii hoc argumentum adhibent ad confirmandam hypothesin, de naturali quadam facultate, operi formandi fetus praeposita c): Alii ad stabiliendam sententiam de potestate animae corpus struendi, v. c. tota secta Stahliana: Alii ad demonstrandam continuatam harmoniam inter matris animam suumque corpus, et inter corpus matris ac fetus, quae tamen profecto nuspian est d). Ex quo hypothesium amore factum est, vt naui, tanquam effectus imaginationis, considerarentur, et quisque eas potissimum fabulas eligeret, quae suae doctrinae maxime consentaneae videbantur. In quo quam multa adhuc super sint probanda, ex antegressis patet.

### §. XXXII.

#### *Aliae meditationes contra scriptorum testimonia.*

Venerunt tamen quaedam alia in mentem, quae ista testimonia commentitia subruere possint. Primo multa naevorum exempla allegantur ab SCHENCKIO, HELLWIGIO aliisque obseruatoribus, sed haec fere ex aliorum fide vel rumore solo. Quum autem testimonium verissimum sit *αυτοπτων*, et hoc solum nos ad credendum impellat, contra id, quod fama tantum traditum est, vel ex alio auctore excerptum, quamvis in se non statim irritum sit ac vanum, vnum tamen est, etiamsi per mille alios fuerit traditum, ac incertum. His enim compilatoribus etiamsi innumerae aliae historiolae eiusdem

b) ZIMMERMAN von der Erfahrung T. I. B. III. C. C. p. 187.

c) SCHENCK l. c. L. IV. p. 564.

d) III. NICOLAI von der Erzeugung p. 207.



dem farinae ab iis enarrentur, nulla fides est adhibenda. Deinde multa de naeuis ab HORSTIO memorantur, cuius testimonio obstat nimia eius credulitas et impotentia rite obseruandi, dum nempe contendit e), phaenomenon de dente aureo partim esse naturale, partim praeter naturale, et diuinam prouidentiam talia miracula passim in corporibus hominum edere voluisse ad Christianorum animos contra Turcas excitandos. Tali auctori

*Credat Iudeus Apella, non ego.*

Eadem profecto, nisi maior dementia cepit haud paucos naeuorum patronos, qui in obseruationibus fallaces ex factis deducunt conclusiones, nullo habito respectu rerum circumstantium, morborum maternorum, pressionis, laesiorum, partus difficilis, vnicce ad phantasiam matris, tanquam ad sacram confugiunt anchoram, cum hac qualitate occulta contenti, quia indagatio ardua et perdifficilis iis esse videbatur. Immo vero testimonia defensorum comparando, inter eos reperi plurimos minutulos medicos, ab omni philosophia et obseruandi arte rudes, at inter aduersarios longe experientissimos et perspicacissimos viros, quorum nominibus optimi quique assurgunt, puta, HALLERVM, BONNETVM, BVFONIVM, ROEDERERV M, LVDWIGIVM rel. vt dubitare certe de ista naeuorum origine fas sit. Accedit, quod mire inter se dissident mulierculae ceterique naeuorum magistri in finiendo tempore, quo fieri tales possint. Alii enim phantasiam et tactum partis nullo modo nocere infanti aiunt, nisi sub grauiditatis primis quatuor mensibus, sub ultimis vero nequaquam; alii ne ultimos quidem a periculo et foedatione corporis liberare. Qui dum hinc inde disputant, satis superque docent, se de re, quam exploratam cupiunt, nondum conuenisse. Iam placet, tanquam cumuli loco, quasdam speciales historias examini subiicere.

F 3

§. XXXIII.

e) De Dente aureo p. 23. et 48.




 §. XXXIII.

*Virgulae Iacobi.*

Quod pluribus S. S. locis accidit, quibus sua quisque arte ac scientia opiniones vel maxime ridiculas fulcire studebat, id etiam celebrata virgularum, quibus IACOBVS f) in rem suam ac commodum vius esse dicitur, historia Genes. C. XXX. consignata experta est. Etenim haud defuerunt, qui eam, ut mira de vi imaginatōnis in fetum fabula veritatis speciem induat, diuinis quippe oraculis munita, male contorquerent. Sed hi homines aequē infelici conamine id egerant, ac alii inepte seduli, qui commenta sua physica aut chēmica magno cum strepitu, at impari successu sacrī ex litteris repeterent. Nam ut praeteream, totam illam historiam multis adhuc premi difficultatibus, quae attentum quemuis lectorem, qui cum primis v. 40. cum praecedentibus contulerit, non possunt non offendere: nihil plane pro vi imaginationis in fetum inde peti potest praefidū. Explodimus quidem cum Ill. MICHAELIS ff) BLONDELLI sententiam, ut aegri somnia. Damus, IACOBVM non eam ob caussam virgulas decorticasse, ut liquor earum, cum aqua maiori copia mixtus, greges ad coitum exstīmulet. Quae RICKMANNI sententia aduersa veluti fronte cum v. 42. pugnat, quippe qui omni sano sensu desituitur, si negare velimus, IACOBVM sibi certo persuasissime, virgulas variegatas fetum quoque variare posse. Ex pacto enim cum LABANE inito non *plures*, sed *variegati* modo agni in dominium IACOBI transferunt. Inde vero non statim concludere *determinate* licet illud, IACOBVM omnem exoptatum virgularum variegatarum effectum in imaginatione ouium, eiusque in fetum vi posuisse. Liquori enim earum cum aqua, quam greges biberent, permixto physicam ipsi fetui varios colores imprimendi vim adscribere poterat. Nec spēnenda adeo mihi videtur haecce opinio, certe aequo iure, ac Ill. MICHAELIS, vulgarem sententiam vult expertam, digna est,

quae

f) Genes. c. 30.

ff) Verm. Schrift. P. I. p. 62.



quae experimentis idcirco instituendis curatiū examinetur, quae declararent apertius, an potius ex liquore styracis (haec enim arbor est לְבָנָה vi voc. arab. لِبَنْيَ) platanī et amygdali confectus fetum reddere possit versicolorem. Quicquid vero horum sit, nihil tamen ex iis ad substratam materiam colligi potest. Siue enim vim quandam physicam virgulis variegatis tribuerit IACOBVS, siue imaginationem ouium harum conspectu commotam sibi persuaserit varios fetui impressisse colores; nihil tandem amplius inde consequitur, quam id, IACOBVM in ea fuisse opinione. Quod vero MOSES narrationi suae notam non adiecerit censoriam, inde nondum licet colligere, MOSEN IACOBI sententiam auctoritate diuina comprobasse, eamque adeo firmo stare talo. MOYSIS enim, cum res gestas litteris tantum consignaret, non erat, hanc IACOBI opinionem vel corrigere, vel confirmare. Quod si igitur IACOBVS errat, non itidem errat MOSES, qui facta tantum recenset, non iudicat. Vnde vero fetus ille variegatus? Poterat varius ille color a speciali directione diuina profici sci, poterat dimanare ex coitu cum variegatis arietibus, quibus somnium IACOBI (Genef. XXXI. v. 10.) hunc effectum expresse tribuit; si modo liqueret, vnde illi venerint, cum greges LABANIS et IACOBI multorum stadiorum interuallis disiuncti pascerentur; poterat denique effici *forsan* a liquore arborum supra dictarum, cum aqua commixto. Quaenam autem causa vere obtinuerit, cum vniuersa historia multis adhuc difficultatibus laboret, definire vix licet; nec vero vberiorem disquisitionem huius loci esse existimo. Satis est docuisse, illum Geneseos locum pro vana imaginationis in fetu opinione non posse adduci g).

§. XXXIII.

g) Quam nostrum non est, eorum nos adiungere cohorti, qui se sibi solis sapere posse credunt, a se solis proficere, atque scientiae praestantia ceteris longe antistare; nobis publice confitendum est, istam §. ab PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO nostro AMICO ac conterraneo, GABLERO, cuius et doctrina in optimis literarum theologiarum studiis, et vitae integritas ea exspectant praemia, quae tanta virtutis doctrinaeque documenta sibi vindicant,




 §. XXXIII.

**IACOBI I. timiditas et metus gladii.**

MALEBRANCHIUS<sup>gg)</sup> hanc historiam ita refert. Quum regina, MARIA STUART, grauida esset, eius amicum intimum, REZZIVM, vespertino tempore in eius conclavi a quibusdam scotis multiplici vulnere confossum periisse. Hinc valde perterritam postea IACOBVM I. peperisse, qui adeo esset timidus, ut nunquam strictum gladium posset aspicere. Quem igitur timorem phantasiae adscribunt maternae, tali exemplo ad probandam eius vim in fetum vni. Consideranti mihi attento animo hanc historiam, videtur potius nostrae, quam aduersariorum sententiae fauere. Nam in hac tragœdia maximus ortus est tumultus, regina maximo correpta terrore, uno verbo, omnes circumstantes res ita comparatae, ut crederes, non unum, sed plures naeuos, gladium vel vulnera cruenta referentes, et quidem maxime insignes, in corpore IACOBI inueniri debuisse. Et tamen nulla cutis macula, nullus rubor, nulla cicatrix, in toto visquam fuit corpore. Quare si sub his conditionibus, grauiissime afficientibus sensus, phantasia matris nullos potuit excitare naeuos, consequens et consentaneum est, ut nec in aliis casibus, ubi affectus non tam vehemens est, viros excitet. Quod si verum est, sequitur, ut etiam non, tanquam causa odio habiti gladii, sit consideranda, sed potius auer-sationis causa aliunde quaerenda. Neque minus illud adnotandum est, quod explosionem bombardae manuariae similiiter abhorruerit, et si REZZIVS talibus armis non fuerat interemptus. Sed ista regis timiditas partim in quadam debilitate neruorum latuit, partim in educatione et tristi recordatione mortis lugubris, quam pater ac mater obierant.

Acce-

cant, fuisse elaboratam. Pro quo singulari amicitiae documento, OPTIME GABLERE, summas TIBI persoluo gratias, et, ut Deus, omnium rerum moderator, TIBI omnia prospere evenire iubeat, pro ea, quae nos intercedit amicitia, ex animo opto.

*gg)* l. c. p. 241. et DIGBY poudre sympathetique p. 213.



Accedit regis animus pacificus, qui saepissime timidis infidet, ut taceam scriptorum quaevis singendi licentiam h).

§. XXXV.

*De infante mutilato.*

OLAVS BORRICHIVS i) sequentem narrat historiam. *Muliercula quaedam, nomine Gerhardina, quarto gestationis mense aream palatii regii incaute praewambulans, conspicata ad pedem Byrsae egenum, mendicatu viuentem, qui truncam manum suam et pedem mutilum late ostendebat. Cohorruit ita, ut domum reuertens marito tristitiam conceptam significaret, et de frigore dorsi circa os sacrum conquereretur. Prodit iusto tempore misellus infans, et easdem infelicitatis notas manu pedeque, quas in mendico spectauerat mater, in annos vitales secum exportat.* Factum hoc comprobat, aduersarios semper illam fallacem committere conclusionem, quam dialecticci dicunt, *post hoc, ergo propter hoc.* Cuilibet notum est, absque vlla praegressa imaginaria idea fetus aliqua parte mutilos, et in humano genere, et in animalibus frequenter nasci, sic, ut modo brachia defint, modo aliae partes. Iure igitur meritoque concludere possumus, etiam in hoc fetu tale quid locum habere potuisse, nec opus est ad ignotam et incomprehensibilem quandam vim phantasiae configere, praesertim cum verissima semper sit philosophorum regula, caussam et effectus sibi debere semper esse aequales. Iam vero in narratione nihil indicatur, praeter id, mulierem hoc aspectu fuisse in tristitiam et horrorem coniectam. An talis horror mutilare fetum potuit? Evidem vix putarim. An in secundinis vel in utero abscissae partes fuerunt inuenitae? Scriptor nihil tale refert, neque referre potuit. Fuit igitur, ni fallor, unica et certissima caussa, arteriarum excoecatio et compressio, ita, ut succus alibilis subire amplius non posset.

G

h) BLONDELL. l. c. p. 37. seq. cum quo etiam MAVCLERC loc. cit.  
p. 244. consentit.

i) In Actis med. et philos. Hafniens. Obseru. 82.



posset. Quin beatus IUDWIGIVS <sup>k)</sup> similem litteris consignatum reliquit casum, vbi mutilatio ab compressione arteriae orta erat, vnaque addidit candide ac sincere, vulgum etiam voluisse illud phantasiae vindicare, quia mater amputationem brachii in nosocomio conspexerat. RICKMANNVS vero <sup>l)</sup> ex HALLERI descriptione fetus bicipitis casum allegat, vbi matrona hominem viderat, uno pede mutilum. In somno phantasia hanc imaginem rursus repraesentauit, hinc vehementer perterrita credidit, se mutilatum infan tem esse editurum. Sed metus fefellit. Enixa est enim infantem omnibus artibus integrum. Recte igitur concludere possumus, si in hoc casu fetus illae laevis in lucem prodierit, etiam illud in aliis casibus aliunde repetendum esse, non ab imaginatione.

### §. XXXVI.

#### *Fetus acephalus.*

Dux Albanus iusserat trecentos ciues simul Antwerpiae trucidare. Honestam mulierem grauidam libido incessit tragediam spectandi, sed viso spectaculo, doloribus partus illico correpta, peperit infantem capite truncatum, quod nec repertum fuit in secundis <sup>m)</sup>. Historiam veram esse, lubenter concedo, etsi non desunt, quae regeri possint, sed ab imaginatione caput fuisse amputatum, id nego ac pernengo, quippe haec nullo alio modo, quam per aliquam vim corpoream agere potest. Ponamus etiam, sanguinem et spiritus animales, cum carnifex iussa ducis perpetraret, maxime fuisse perturbatos; tamen mehercle nunquam eam in fetum habebunt vim atque potestatem, ut truncus pes vel brachium mutilum nascatur. Deinde deficit sectio et indagatio partium accuratior; ergo adhuc semper supereft aliqua dubitatio, vtrum inde ortum sit, an aliunde. Tandem plane con-

cipi

<sup>k)</sup> De fallaci iudicio p. II.

<sup>l)</sup> Loc. cit. p. 135.

<sup>m)</sup> BOERHAVE praelect. De morb. neru. p. 463.



cipi nequit, quomodo per solam phantasiam eodem momento, quo ceteri rei capite deminuti sunt, caput fetus fuerit amputatum, eodem tempore etiam partus euenerit, et tamen nuspia caput, ne in secundinis quidem, fuerit inuentum. Nam assumas licet, in eo momento non solum fuisse amputatum, sed etiam in nihilum redactum, peruelim viam doceas, qua hoc fieri potuerit. Itaque potius statuendum est, hunc fetum inter monstrorum genus esse numerandum, quae certe sententia mihi probabilis redditur, quod tales fetus acephali etiam absque praegressa phantasiae vi fuerunt nati.

§. XXXVII.

*MALEBRANCHII historia de iuueni, omnibus membris fracto.*

MALEBRANCHIUS n) sic narrat. *Septem vel octo abhinc annis, Parisiis in nosocomio, dicto DES INCVRABLES, iuuenis erat ab ortu mente captus, omnibusque fractus membris, quibus frangi solent rei. Per viginti pene annos in hoc statu vixit. Non pauci illum viderunt, et ipsa defuncta regina illud nosocomium hac de re inuiserat. Huius infortunii haec fuit caufsa: nempe cum eius mater reum aliquem brevi crucifragio sublatum iri accepisset, suppliciis tesis oculata esse voluit. Singuli istus, quibus ille miser afficiebatur, phantasiam matris vehementer percellebant, et infans posthac in lucem editus, easdem corporis partes, quas reus, distractas habuit. Haetenus MALEBRANCHIUS. Non pauca sunt, quae lepidam illam fabulam valde reddunt dubiam. Nam tota historia videtur eodem modo fuisse excogitata, quo illa, cuius LVDWIGIVS mentionem fecit, quippe mater ut homines ad misericordiam et stipem perduceret, peregregie huiusmodi affirmabat factum. Porro MALEBRANCHIUS nuspia dicit, se fuisse testem oculatum, ideoque praesumitur tantum hanc historiam per famam accepisse, hinc fides merito suspecta est. Fac vero, ipsum philoso-*

G 2

phum

n) Loc. cit. p. 232.



phum oculis suis haec percepisse, tamen obseruatoris ingeniosi commentum hoc fuisse, dudum MARCOT <sup>o)</sup> ostendit. Quin etiam animaduertendum est, in singularibus ac miris casibus omnes res circumstantes diligenter perquiri debere, nisi falli velis. Sed hic manca est historia. Ignoramus enim, quae fuerit constitutio materni corporis, vtrum lue fuerit infecta venerea? an partus extiterit difficilis? an haec narratio ab obstetricie ad velandam culpam fuerit excogitata? Equis enim nostrum tam excelso ac diuino ingenio est, vt perspiciat viam et rationem, qua omnia fetus ossa ab phantasia matris potuerint frangi? MALEBRANCHVS ipse modum talis actionis satis explicare non potuit, vt alio loco satis ostendimus. Quare cum in talibus casibus semper firma et immutabilis sit philosophorum regula, rem obscuram non per aeque obscuram esse explicandam, virtuti imaginationis profecto parum tribuimus. Nam mille caussae cogitari possunt, a quibus tale infortunium profectum erat. Sic a tumore cartilaginum nimio talis deformitas orta est <sup>p).</sup> A lue venerea ossa fuisse fracta suspicatus est Perill. DE BUFFON <sup>q)</sup> et Ill. NICOLAI <sup>r)</sup> ipse, qui alias se strenuum propugnatorem contrariae opinionis demonstrauit, tamen hunc casum a constrictione uteri deriuat. Sed omnium optime, vt mihi videtur, beatus HALLERV<sup>s)</sup> monet, si quid veri in eo fuerit casu, valde esse probabile, eius fetus epiphyses abscessisse, id quod facillime fieri possit, cum nec in adultis rara sint talia exempla. Ex his rationibus parum fidei tali historiae tribuas.

### §. XXXVIII.

<sup>o)</sup> Mem. de l'Acad. de sciences 1716.

<sup>p)</sup> Phil. Transact. no. 430.

<sup>q)</sup> Hist. Nat. T. II. p. 404.

<sup>r)</sup> Von der Erzeugung, no. 48.

<sup>s)</sup> Elem. Physiol. T. VIII. p. 140.



## §. XXXVIII.

## Herpes.

Agmen claudat Cl. TODE t), qui sequentem obseruationem ad confirmationem aduersae sententiae attulit. *Virgo* 37. *annorum summa nervosi generis sensibilitate et mobilitate praedita, nunquam non valetudinaria, et aromatario quodam nupta, non multo post conceperat, grauiditate tamen infirmum corporis statum et mentis irritabilitatem vix mutante.* Dimidium grauiditatis terminum iamiam erat emensura, quum hemicrania nervosa sibi familiarissima solito vehementius corripiebat. Cruciatum ut leniret, sororem natu minorem rogauit, ut utraque manu applicata dolentem partem fortiter premeret, ex pathemate immemor, alteram puellae palmam herpete esse infidam. Hemicrania strenue pressa, depulsa, singularem et satis ingratum pruritus senum in fronte superstitem, percepit grauida. Faciem in speculo contemplata nascentisque herpetis foedum ruborem, multa lauendulae aqua infectionem, quam suspicabatur, detergere sicque principio obstatre sategit. Neque tamen hoc impeduit, quo minus intra biduum perfectus herpes purpurei coloris, conspicuam frontis partem supercilii intermedium occupans, ambitum numeri aurei aequans, se se declarauerit. Partu enixo, in infante ceterum fano, detestabilis herpetis imago in eodem se exhibuit loco. Hanc obseruationem prae ceteris, tanquam maxime commendabilem pro aduersa hypothesi, ideoque monimento, quod aere perennius sit, honorandam esse putem; dum conscripta est a tali viro, qui pro diuino, quo praeditus vult videri, ingenio noua semper molitur, atque mira dicendi vi, suavitate, *urbanitate u*), eructat. Sed tam prauae, quod dolendum, indolis sum, ut auctoritati nullius cedam, omnium minime Cl. TODE, quem verbosum quidem et loquacem saepissime deprehendi, vere ac solide doctum autem nunquam. Li- ceat ergo publice dicere, quae hac de obseruatione sentiam.

G 3

Et

t) Societ. Med. Hafniens. Collect. Vol. I. Obs. XIII. p. 95.

u) Exempla eius urbanitatis in egregio, si Dis placet, tractatu, vom Tripper, in omnibus plagulis reperiuntur, vt in hac historia morbi vitia grammatica.



Et quidni? cum ipse vir clariss. dicat, quicquid in buccam venevit. Nescio enim, annon Viri Cl. studium nouaturiendi et cupiditas aliis Viris Cl. obloquendi facultatem rite obseruandi obtuderit, vt omnes res circumstantes non satis perpendret, et fallacem illam conclusionem, quam saepius commemoraui, commiserit, *post hoc, ergo propter hoc*, sine vlla mentione, istane mulier tunc morbum fororis timuerit, nec ne. Deinde vir Cl. affirmat, etiamsi aspectu huius herpetis perterrita non esset, tamen infantis herpetem ab imaginaria idea fuisse ortam. Quod si ita se habet, potuit per consensum neruorum solum hoc effici; sed tunc Cl. TODE, magnus quoque, vti sperare licet, anatomicus, cum sibi omnium rerum scientia prae ceteris quam maxime excellere videri velit, debuisset et illum consensum neruorum in placenta et funiculo, item consensum sanguinis demonstrare; id quod nunquam efficere poterit. Ego vero mirarer, quare in tali casu vir clar. ad quandam qualitatem occultam confugiat, et rem obscuram per aequae obscuram explicet, nisi dudum nossem, bonum hunc virum dixisse ac scripsisse multa, quae nec intellexit vnquam, nec credidit, animi laxandi forsitan vel risus mouendi caufsa. Quod vt nunc etiam faciat, equidem perlubenter concedo ac iubeo. Ex ipsis vero exemplis, quae passim adduxi, satis superque patet, quam parum roboris ac virium in sententiam aduersariorum ex talibus redundet fabulis, nec opus est, id pluribus persequi, quod cum angustia voluminis, tum festinatio ea finiendo, quae exorsus sum, prohibet. Quare coronidis loco in sequenti capite hypothesis Hallerianam de naevis candide ac diligenter exponemus.

## C A P V T III.

## IN QVO NOSTRA SENTENTIA EXPONITVR.

## §. XXXIX.

*Praecipuorum scriptorum enumeratio.*

Quum in antecedentibus aduersariorum argumenta satis superque fuerint confutata; restat, vt nostram exponamus hypo-



A  
2

hypothesin, qua non per ideam quandam imaginariam, sed per longe alias caussas naeuos produci ostendemus. Sed antequam opus ipsam aggrediamur, lubitum est, nomina et scripta praecipuorum defenforum, quorum nobis copia facta est, praemittere, ne hac in re partibus scribentis defuisse videamur. Sunt vero potiores IACOB. RVEFF *v*), NIC. VENETTE *w*), MARCOT *x*), IAC. BLONDEL *y*), HALLERVS *z*), IO. GEORG. ROEDERER *a*), BERCHER *b*), ASTRVC *c*), BVFFONIVS *d*), DVVERNEY *e*), MAVPERTVIS *f*), BONNETVS *g*), LVDWIG *h*), RICKMANN *i*), LEVRET *k*), ERNEST. PLATTNER *l*), GEORG. CHRIST. ARNOLD *m*), PETR. CAMPER *n*) cet.

#### §. XXXX.

- v*) De conceptu et generat. hominis, Tiguri 1554.
- w*) Von der Erzeugung, Lips. 1711. p. 456.
- x*) Mem. de l'Acad. de sciences 1716. sub fine.
- y*) Abhandl. über die Einbild. Kraft recus. in 3. merckw. Abhandl. Argent. 1756. In eadē Collectione etiam reperiuntur Physical. Briefe von der Einbildungskraft, in quibus etiam nostra defendit sententia.
- z*) In Annot. ad Praelect. BOERH. T. V. P. 2. p. 520. seq. et in Element. Phyl. T. VIII. p. 17. seq.
- a*) In Ablhandlung von Muttermähern der Krauf. Preischrift beygedruckt, Lips. 1758.
- b*) In Thesi. Ergo non datur imag. maternae in fetum actio? Parif. 1741.
- c*) Traité des Tumeurs p. 421.
- d*) Hist. Nat. T. II. p. 400.
- e*) Act. Petropol. T. V. p. 255.
- f*) Venus physique T. I. p. 88.
- g*) Betracht. über die organis. Körper T. II. p. 283.
- h*) De fallaci iudicio.
- i*) Von der Unwahrheit des Versehens. Confer etiam Briefe an verheyrathete Frauenzimmer, aus dem Englischen, Lips. 1768.
- k*) Von der Geburths-Hülfe T. II. p. 27.
- l*) Anthropologie p. 132. seq.
- m*) Gedanken über die Zulässigkeit der Meinung, die Mutter würde durch die Einbildungskraft, Lips. 1775.
- n*) Betracht. über einige Gegenstände der Geburt und Erziehung der Kinder T. II. p. 8. Lips. 1776.



## §. XXXX.

*Fabrica primigenia aliena, et scriptorum recensio, qui talem vel affirmarunt, vel negarunt.*

In explicanda monstrorum origine eruditii nostris temporibus in duas transferunt partes; quorum alii statuebant, monstra per accidens oriri, eaque theoria utique est antiquissima, quippe iam EMPEDOCLES o) abundantiam vel defectum semenis, tanquam caussam monstrorum, assumit, et STRATO physicus ex additione vel diminutione, vel compositione, vel inflammatione partium deriuauit. Alii autem id fieri, dum matrix flatibus illapsis peruerfitur, et monstra gigni, quando semina in vtero coalescunt; id quod affirmavit DEMOCRITVS p). At vero bina oua conformata partus bicarpites efficere docuerunt HARVEI q), ILL. NICOLAI r), MARCOT s), cet. Caussas, quae casu fortuito fetum mutant, multi alii Cl. Viri scripsierunt, quorum nomina apud HALLERUM t), leguntur. Potissimum autem LVD. LEMERY u) et Cl. CAR. BONNETVS v) huic sententiae vim et potestatem quandam addiderunt. Primus PETR. SYLVANVS REGIS w) praeter ea monstra, quae per accidens deformata fuerunt, demonstrauit dari posse, quibus a primis initiosis fabrica fuerit insolita, et valde immutata. Hanc sententiam magni anatomici post haec defendendam suscepereunt, puta, JOSEPH. GVISCARD DVVERNEY x), ALEX. LITTRÉ y), IO. MERY z), IO. BENIGNVS

o) PLUTARCH. De Placitis Philot. L. V. C. VIII.

p) Apud ARISTOTEL. Gener. Anim. L. IV. c. 24.

q) Generat. Animal. Exercit. 24.

r) Von den Misgeburten no. 23.

s) Mem. de l'Acad. 1716.

t) De monstris I. II. p. 132. recus. in oper. min. T. III.

u) Mem. de l'Acad. 1724. 1738. 1742.

v) Organ. Körper, T. II. p. 308. seq.

w) Physique T. VIII. P. I. p. 29.

x) Mem. de l'Acad. 1706.

y) Ib. 1701.

z) Ibid. 1716.



NIGNVS WINSLOW *a*), piae ceteris autem Perill. HALLE-RVS *b*), nuperrime ARNOLDVS *c*), qui omnia monstra ex tali fabrica primigenia deriuanda censuit, ratus, deum ita voluisse, ne inter res creatas adesset vna eademque forma.

§. XXXXI.

*Argumenta pro fabrica aliena primigenia.*

Cogitanti mihi visa et effectus conceptionis atque formationis fetus, non licet non cum magno HALLERO consentire ac affirmare, nullam fieri posse *epigenesin*. Nam certo credimus, nullam vim, nisi quae sapientia regatur, materiem ita efformare ac effingere posse, vt bruta ea materies in ossa, musculos, viscera rel. transeat, certoque ordine haec omnia inter se coagententur. Qua de re cum cogito sapientissimam fibrarum, membranarum, ligamentorum, nervorum, arteriarum et venarum constructionem, earumque aptas inter se conspirationes *d*), tunc mihi sistema *euolutionis* quam maxime probabile redditur. Eam enim fabricam creator ipse, cui nihil est difficile, struxit, et ad praeuisos fines brutam materiem quam sapientissime ordinauit, priusquam vis mascula accesserat. Ex quibus concludimus, si monstra aliena quidem a sueta fabrica, apte tamen ad vitam humanam comparata, suisque muscularis, nervis et vasibus munita in lucem prodeant; hanc monstruosam fabricam non casu accidisse, sed potius praeformatam in ovo materno ante congressum *e*) extitisse. Neque vereor obiectionem,

monstra

*a*) Ibid. 1733. 34. 40. 42. 43.

*b*) De monstro bicipite Hanou. 1739. Duor. monst. anat. Gotting. 1742. De fele capite semidu pl. Gott. 1742. De fetu humano sine cerebro, Gott. 1745. De monst. orig. mechanica, Gott. 1745. De monstribus.

*c*) loc. cit.

*d*) BONNET *Organis. Körper T. I.* p. 104.

*e*) HALLERV De monstribus p. 131.

H





monstra esse res creatas imperfetas, et deum nihil imperfectum creasse. Haec enim aperte falsa est. Nam ista monstra, de quibus nobis sermo est, natura sua imperfecta nullo modo sunt, cum ordo et conuenientia partium, quem in illis obseruamus, tantum quaedam ostendant insolita, minime gentium manca. Fetus bicorporeus praeditus uno corde vel duplice, in communi pericardio constituto, omnem meretur attentionem, quia circuitus sanguinis nequamquam effici potuisse, si in quoque fetu separatim a corde fuisset ortus<sup>f</sup>), ideoque luce clarius apparet, talem monstrofam fabricam accomodate ad certos fines fuisse constructam, et minime omnium imperfectam esse appellandam <sup>g</sup>). Porro creator et effector rerum visibilium, cum sit dominus totius naturae, iure gaudet summo, fabricas qualescumque effingendi <sup>h</sup>). Si vero monstra taliter existunt, qualiter demonstrauimus, parum refert, vtrum a primis staminibus monstrosa natura fuerit? an posterior corruptio superuenerit? Malum physicum etiam probe distinguendum est a malo morali; hoc a deo proficiisci posse repugnat sanctitati eius, sed illud nullo modo. Ex quo concluditur, argumenta metaphysica, quibus existentia fabricae monstrosae primigeniae negatur, per quam lubrica et infirma esse.

### §. XXXXII.

#### *Conclusiunculae ex hac fabrica deducendae.*

A nostro scopo alienum est, omnia phaenomena, quae *Perill HALLERV*s ex hac fabrica primigenia mutata deduxit, hoc loco recensere. Sufficiat nostrae confirmandae sententiae gratia quaedam allegasse. Huc pertinet primo *inuersio partium*. Haec inuersio, qua in bene formato corpore dextra omnia sint, quae alias solent esse sinistra, mihi huic fabricae vnicce tribuenda esse videtur, in quo etiam

LEME.

<sup>f</sup>) RICKMANN l. c. p. 108.

<sup>g</sup>) ARNOLD l. c. p. 33.

<sup>h</sup>) Ibid. p. 104.



A  
2  
S

LEMERYVM consentientem habeo, in eo tantum a WINS-  
LOWIC deflectentem, quod huiusmodi homines monstra vo-  
cari non debeant <sup>i)</sup>). Huc sine dubio est referenda illa ad-  
miranda cardianastrophe, cuius HOFFMANNVS mentionem fa-  
cit <sup>k)</sup>; quod phaenomenon ex nostra hypothesi melius ex-  
plicari ac intelligi poterit, quam si ortum fuisse putas, quod  
femina grauida, dum furi fauces laqueo praefocari debebant,  
sacerdotem copiose ac effuse de peruerso corde loquentem  
ac hortantem audierat <sup>l)</sup>). Nam HALLERV<sup>s</sup> <sup>m)</sup> praeclare ac  
docte ostendit, et si in germine omnia viscera, membranae,  
et ipsa ossa mollia sint, tamen nullam caussam mechanicam ex-  
cogitari posse, quae istam inuersionem visceris efficiat.  
Quin ex hac hypothesi caussa partium redundantium et  
superfluarum facillime erit explicanda, v. c. sedigit, vel qui  
duos habebant pollices, quemadmodum supra exemplum ex  
BOERHAVIO allegauimus. Nam si neges, hanc fabricam in  
germine adfuisse, tunc tibi demonstrandum erit, posse casum  
absque vlla lege partes cum arteriis, venis ac nervis apte et  
concinne fabricare, de quo quisque, cui sanum sinciput est,  
valde dubitat. Neque vero me latet, Cl. BONNETVM <sup>n)</sup> ad  
euolutionem nimiam eiusmodi supernumerarios digitos retu-  
lissee. Sed quia scriptio nostra non in explicanda monstrorum,  
sed naeuorum natura versatur, nostrum non est, hanc li-  
tem dirimere; Id vnum satis est, ostendisse, talia euenta ex  
longe aliis caassis repeti posse ac debere, quam ex imagina-  
tione materna.

### §. XXXIII.

#### *Semen masculinum.*

In muliere germen embryonis primaeuum quasi sopitum  
videtur esse, absque vla vita et motu animali, nisi semen

H 2

mascu-

<sup>i)</sup> HALLERV<sup>s</sup> De monstris L. II. C. VIII. p. 138.

<sup>k)</sup> FRID. HOFFMANNI Cardianastrophe admiranda, Lips. 1671.

<sup>l)</sup> Ill. NICOLAI von der Einbildungskraft p. 91.

<sup>m)</sup> Loc. cit. p. 139.

<sup>n)</sup> BONNET Betracht. über die Natur, p. 178. V. G.



masculinum accedat. Huius liquoris vis et indoles partim ex succo nerueo mihi repetenda videtur, si spectes miras mutationes, a semine odorifero generato vel sorpto in pubere homine oriundas, partim ex quadam lympha, quia bono corporis habitu sunt, qui castitatem seellantur. Ex quo sequitur, vt per istum semenis odorem penetrantem et stimulantem cor fetus longe vehementius stimuletur, et frequentius acriusque saliat, et ita euolutio, ruptis veluti repagulis ac torpore discussa, incipiat. Semini vero vim tantam inesse, satis demonstrant prouentus barbae, pubis, cornuum in iis bestiis, quibus decidua sunt. Germina harum partium procul dubio ante semenis vim stimulatricem adfuerunt, quia nihil, nisi cuius rudimentum intus latuit, prodire potest; ad plenum perfectumque incrementum vero necesse fuit, vt vis semenis accederet. Huic semini, me quidem iudice, similitudo, quae patrem et infantem intercedit, est adscribenda, neque ad imaginariam quandam ideam temere configendum; quippe haec communis naturae lex esse videtur, vt quo maior portio et vis semenis masculi sit, eo maior etiam similitudo patris et fetus sit. Porro sciimus, semen masculum aliquas partes in germine mutare posse; id quod exemplo mulae ostenditur, et secundum hypothesin Cl. BONNETI o), qua semen masculinum ex iisdem particulis elementariis, quibus germen, compositum esse debet, et partes germinis eadem gaudere relatione cum particulis semenis masculini debent, necesse erit, vt per qualemcumque mutationem in semine masculino etiam mutatio in germinis partibus oriatur, dum per vehementiorem eius stimulum incrementum quarundam partium citatur, et nimia euolutio efficitur, v. c. membranae digitorum intermediae, quales animantium natatilium sunt, et qualem commilitonem *III. PRAESES* vidit, cui membrana tenuis ad omnium digitorum pedis phalangem secundam extendebat, vnde nulla nascebatur in gradiendo molestia, vel germinis lamellae disrumpuntur, cum nouis embryonis mutationibus. Item ex antedictis satis patet, si semen malae et

•) *Betracht. über die organis. Körper T. I. p. 27.*



et effetae indolis sit, e. g. nimis tenue, aquosum, iners, vel infecundum ac inutilem coitum esse, vel debilissimum infantem progigni. Accedit varia germinis resistentia. Itaque si inest resistentia satis valida, cui superandae femen impar est, necesse erit, ut membra diuerse efflorescant. Hac via non partium defectus solum, sed etiam multa alia, quae vulgo phantasiae maternae adscribuntur, probabiliter explicari possunt.

### §. XXXXIII.

#### *Coalitus.*

Quum insitio duo ramos etiam diuersarum arborum in vnum coniungat, consequens est atque consentaneum, vt secundum euentuum similitudinem easdem mutationes ouorum in vtero defendamus. Nam idem effectus oriatur necesse est, si duo oua vel in ouario, vel in vtero, in superficie se inuicem contingent, et vulnerum curationibus, in quibus non raro cum motus detimento membra et digit*i* coalescunt, satis abundeque confirmatur, multas animalis corporis partes inter se conferuere posse p). Sic ii fetus, qui frontibus se arte compresserant, nos docent, posse etiam gemellos capitibus confluere q). Si ergo tenerrimam embryonis consideramus fabricam, facile perspicimus, corpusculum multis patere iniuriis, et sic facillime duo germina per contactum inter se coniungi posse, ac multas in nae- uorum doctrina difficultates tolli.

### §. XXXV.

#### *Aliae cauſſae, quae fetum mutare possunt.*

Cl. BONNET demonstrauit r), germanum gallinaceum vel non fecundatum crescere: Quod si verum est, valde est ver-

H 3

simile,

p) HALLERVS l. c. p 150.

q) Eph. Nat. Curios. Cent. II. Obseru. 172.

r) l. c. T. II. p. 291.



simile, hoc etiam in germine humano contingere debere. Ex quo consequitur, ut illud iam ante conceptionem dispositionem quandam ad quasdam declinationes et vitia assumat, cum multae cogitari possint causae, quae naturalem fabri-  
cam mutent, fine vlla imaginationis maternae operatione. Quid? quod multa demum in ipso momento conceptionis euenire debent a compressione vel tensione partium, quae propter obscuram fetus dispositionem facilius cogitari, quam explicari queunt s). Si quis porro animo reputat, quam multis infortuniis tenellus fetus sit expositus, a pressione valida arctioris thoracis, nimia saltatione, vectio in rheda, praecipue in asperis viis t), immoderato cachinno, sternutatio vel vomitione crebra oriundis, is profecto mecum consentiet, ex hisce caussis istas cutis maculas et alias deformitates facillime procreari posse, ab phantasia autem nullo modo. Similiter plaga, quam praeognans mulier accepit, mutare fetus corpus potest, ut olim iam diuinus HIPPOCRATES u) monuit. Huc etiam iure meritoque refero concubitu, praecipue sub finem grauiditatis, quia per diram compressionem ventris et vteri fetus incredibiliter laedi debet: cuius assertioni testem locupletissimum Cl. KLINKOSCH v) adduxisse sufficiat, qui hydrocephalum fetus de reliquo bene formati descripsit, quem feruentior coitus octo ante partum diebus effecerat.

### §. XXXVI.

#### *Pressio.*

Multi naeui, qui imaginationis effectus esse perhiben-  
tur, me quidem iudice, facillime ab quadam *pressione* repe-  
tuntur. Etenim per vterum vehementer contractum mem-  
bra

s) LUDWIG de fallaci iudicio p. 1.

t) RICKMANN l. c. p. 211.

u) De Genit. c. 8. p. 131. T. I. Edit. LIND.

v) De Hydrocephalo fetus rario, eiusque caussa, rec. in Diff.  
Pragens. Vol. I. no. 15. p. 236. seq.



bra fetus valide comprimuntur, quare iam olim HIPPOCRATES <sup>w</sup>), parens sanioris medicinae nobilissimus, talem utrum inter causas debilitati fetus recensuit. Si pueri nati fuerint debiles, inquit, uteri ipsi in causa sunt, angustiores, quam oportet, existentes. Si enim non habuerint spacioitatem, in qua fetus nutriti possint, necesse est, ipsum tenuem fieri, ut forte qui non satis habeat amplum locum ad incrementum capiendum. Idem efficere potest compressio gemellorum mutua, siquidem ROEDERER <sup>x</sup>) gemellum papyraceae vidit tenuitatis, ab socio ita elisum. Immo vero pressio quaedam, quae matrem laeserat, tales declinationes inducere poterit, puta incuruatio spinae dorsi, ossium pubis arctior commissura, tumores et scirri viscerum abdominis, quae spatium uteri angustare possunt, et tali compressione fetus spinam dorsum mire incuruare, vel etiam brachia versus dorsum, et crura versus abdomen reflectere ac detorquere. Quid vero prohibet, quo minus manus infantis ipsae quasdam sui corpusculi partes ita compriment, ut valde distendantur et veluti scindantur, v. c. digitus labiis appositus ob vasa compressa nutritionem tollit, labium laedit sine villa ope imaginationis <sup>y</sup>) cet.

### §. XXXVII.

#### *Distentio et laxitas telae cellulosa.*

Si vel per aliquam pressionem, vel per nimium humorum aditum tela cellulosa fetus distenditur, tunc magna *laxitas* ac *debilitas* tam membranarum, quam vasorum nasci debet; quippe haec maiorem sanguinis copiam ad has partes allicit, et stagnationes indeque oriundas maculas rubras parit. Ex his innumera illa desideriorum vestigia omnium optime explicari posse videntur, quibus figura fragi, rubi baccae, mori, cerasi, pruni cet. quasi infixa et impressa perhibetur;

quae

<sup>w</sup>) loc. cit.

<sup>x</sup>) loc. cit. p. 81.

<sup>y</sup>) Briefe über die Einbild. Kraft, 14ter Brief.



quae maculae rubrae cum maiori, ac reliqua cutis, gau-  
deant laxitate, ex hoc perspicere licet, quare tales maculae  
eo tempore, quo flores *yy*) erumpunt, magis rubescant;  
nam per caeli calorem humores incitantur, et in quendam  
feruntur ferorem, et solito magis expanduntur: id quod  
etiam sub calore febris ardentis vel cubiculi evenit *z*).  
Huc etiam pertinent maculae, secundum vulgarem opinio-  
nem ex terrore ab incendio ortae, a Germanis dictae igneae,  
a Gallis vinosae, quia credunt, tales oriri, si mulier pre-  
gnans vehementer vinum appetat rubrum. Sed falso. Etenim  
ex sanguine congesto vel in venis retento, et per tenuiora  
cutis velamenta perlucente, istae maculae deriuari debent.  
Idem sentio de maculis fuscis et nigris. Nam vasis vehe-  
menter diffensis, omnia fluida exhalant, et particulae ter-  
reae in vasis extremis stagnant; unde color fuscus vel niger  
oritur, qualis in verrucis inesse solet. At vero maculae  
paullo maiores pellem ceruinam, leporinam reliq. repre-  
sentare putantur. Meminit **HALLERVS** *a*) circumforanei  
pueri, quem mater, a ceruo subito sylua erumpente per-  
terrefacta, sic deturpatum esse aiebat. Vedit portentum **HALLERVS**,  
vidit **ROEDERER**, et praeter cutim fuscam, verruca-  
sam et pilosam latiorem per dorsum et latera maculam nihil  
apparuit. Eadem ratio maculae crinitae est, quam ex fabri-  
ca cutis paullo tumidiori explicare ausim, si ob copiosum  
humorum affluxum ad bulbos pilorum maior pilorum fuit  
prouentus. Illos vero bulbos per vniuersum corpus distri-  
bui, quis est, qui nesciat?

§. XXXVIII.  
*Nutritionis defectus.*

Si qua germinis pars semini imperuia est, tunc neces-  
saria confectione efficitur, ut partes aliae lacte crescant, aliae  
autem

*yy*) Cf. **HELMONT** in L. Demens Idea, §. 37. p. 269. Opp.

*z*) **ROEDERER** loc. cit. p. 85. **RICKMANN** I. c. p. 115. seq.

*a*) Element. Phyiol. T. VIII. p. 133.



autem nullo modo, et potius sensim euaneant. Hac via multorum ortus explicari poterit sine villa accessione vis imaginariae b). Altera causa, quare quaedam partes ex *nutritionis defectu* marcescant, vel prorsum pereant, est, si qua arteria, per quam alimentum afferebatur, caeca facta est, quem casum LUDWIGIVS c) narrat, vbi arteria brachii, sub bicipite excurrens, inter descendendum ita contrahebatur, ut tandem in extenuatis filamentis dilaberetur, et sic brachium sinistrum ad medium ferme ossis humeri partem, ob defectum nutritionis deesset. Idem etiam gallinae meminit, cui sinistra ala nulla erat, ita, ut in loco illo, in quo ala truncō adhaeret, cutis vere continuata, nec ullum papillae vestigium appareret. Et licet gallina bene nutrita esset, ii tamen musculi, qui in pectore et dorso ad alam regendam appositi erant, contracti et exsucci deprehendebantur, certo mehercle indicio, nutritionis defectu haec orta fuisse. Quare certum mihi est atque persuasum, in iis casibus, in quibus imaginatio effectrix esse prohibetur, si diligens dissectio accessisset, eandem causam detegi potuisse.

### §. XXXVIII.

#### *Graues animi matris motus.*

Iam supra (§. II.) satis superque ostendimus, quantas mutationes in corpore *animi motus* vehementiores inducere queant. Quilibet ergo in medicina tyro facile perspicit, si a vehementi terrore vel ira praegnanti nausea, vomitus, tremor, febris vel transpiratio suppressa accidat, illico omnes secretionum et excretionum leges non solum perturbari, sed etiam ipsos humores corrumphi debere. Vnde consequitur, ut humores, nutritioni embryonis destinati, aut cum impetu quodam in membra quaedam ruant, vnde vasa distenta et maculae rubrae, aut secretio chyli plane tollatur, ex quo lentus circuitus in vasis fetus fit, et vasa col-

I lapsa

b) Briefe über die Einbildungskraft, 15ter Brief.

c) LUDWIG I. c. p. 10. et 12.



laspa vterius augmentum impediunt. Et quidni succi nutritii per animi motus corrupti ipsum fetus sanguinem contaminent, variosque inducant morbos, certe quaedam cutis vitia? Quidni quaedam accrimonia in fetum transferatur, quae neruos irritando conuulsiones excitet, vnde vel in vtero moritur, vel per omnem vitam aeger est?

### §. L.

#### *Morbi fetus in vtero.*

Permagna naeuorum pars reliquiae sunt *morbi* alicuius praegressi <sup>a)</sup>. Id quod hydrocephalus docet, per quem non solum cerebrum deleri, sed etiam caput ad eximiam extendi magnitudinem potest, item spina bifida, scrophulae, aliquique corpore infantis apparentes tumores. Porro ex abundante sanguine et a minori resistentia, ex venis obstructis vel constrictis, omnium maxime ex gelatina subcutanea aliquo congesta <sup>e)</sup> tumor et rubor oriri potest. ROEDERER <sup>f)</sup> infantes vidi, in quibus per hydropem pectoris pulmones plane erant deleti, alios, vbi per spinam bifidam inferior pars spinae vertebralis erat destructa. Multi etiam herniosi et ieterici nascuntur, si vel paullo ante partum, vel sub ipso partu ob pressuram bilis in vnam vel alteram partem cutis effusa, maculas sic dictas flauas ingenerat. Dantur etiam infantes, qui propter nimiam matris diarrhoeam vel mensum fluxum ita emaciati fuerunt, vt sceletis similiimi esse viderentur. Igitur eodem iure permultos naeuos ab morbis deriuare possum.

### §. LI.

#### *Partus difficilis.*

*Partus difficilis* etiam multorum naeuorum parens esse solet, eoque pertinent oculi rigidi, nasus depresso <sup>g)</sup>, labia tumida

<sup>a)</sup> ROEDERER l. c. p. 83.

<sup>e)</sup> HALLER l. c. p. 141.

<sup>f)</sup> loc. cit. p. 83.

<sup>g)</sup> PLATTNER ANTHROPOL. p. 184.



tumida cet. Saepe mater credidit, se enixam fuisse aethiopem, et hoc euentum ab viso aethiope deriuat; quem tamen effecit ac genuit partus difficilis, vel funiculus, collum infantis arcte comprimens. ROEDERER<sup>h</sup>) etiam vidi nigros infantes, de quorum origine matres mira et incredibilia multa praedicabant, quos autem attento examine inuenit in vetero mortuos et iam putrefactos, yterum vero omnem cancro corruptum. Immo vero, experientia magistra condocefacti scimus, si sub instante partu caluaria inter peluim valde comprimatur, varias capitis deformations oriri, quae postea, tanquam imaginationis effectus, considerantur et collaudantur.

§. LII.  
*Conclusio.*

Quum igitur omnes naeui ex caussis mere mechanicis repeti ac explicari queant, non ad potestatem quandam phantasiae commentitiam confugiendum, sed eo quam maxime entendum est, vt ista doctrina, tanquam pestis quedam, qua nulla capitalior, ex hominum animis eripiatur funditusque expellatur. Nam si quando mater infantem fuerit enixa, tali naeuo notatum, tunc anxia et moerens sese accusat, amicae carae tremulaeque matres mortem infantis impensis optant. Ipse infans eiulat, per famem misere exercutatus, sed dum nutrimenta negantur, breui exspirat, cum reipublicae damno <sup>i</sup>). Haec ipsa opinio porro sexui sequiori noxam haud leuem affert, cum cuique grauidae nec opinanti talia accidere, et terrorem panicum incutere possint, et grauiter animus angi debeat, lensor humorum ex hac affectione in corpore oriri, transpiratio supprimi, appetitus frangi, ex quo facillime morbus, abortus et ipsa mors contingat. Quare mirum debet esse nemini, si nostram sententiam reipublicae salutarem, et ciuium commodis accommodatam, illam vero, quae in fortuitis et fictitiis rebus tota est, molestam et perniciosa est profitemur.

I 2

PARS

<sup>h</sup>) loc. cit. p. 86.<sup>i</sup>) ARNOLD l. c. p. 141.

vel ex consensu partium contingunt, non vero ex necessitate quadam, in quo quemlibet prudentem mecum consentientem habeo. Ex STAHLII doctrina, etiam quaedam signa ex naeuis in morbis sunt enumerata *yy*), v. c. bonum esse, naeuos maternos, in quo demumcunque membro insideant, neque figuram, neque colorem mutare: at pessimum, eos decolorari, flauescere, emarcescere, vnaque grauia mala aegrum exercere. Sed vereor, vt, nullo respectu aliarum rerum circumstantium habitu, ex hoc signo solo pessimum exitum praedicere liceat, etiamsi concedam, in coniunctione aliorum pestiferorum signorum hanc decolorationem summam humorum resolutionem et instans vitae periculum designare posse. Sed pedem hic figamus, in sequenti capite curationem naeuorum breuissime exposituri.

## C A P V T II. T H E R A P I A N A E V O R V M .

### §. LXIII. *Introitus.*

Auidissimi cum sint homines, scire remedia, quibus cuncta corporis mala tollantur, non defuerunt, qui de extirpandis iis vitiis ac declinationibus, quae venustatem oris et cutis conspurcant, maximeque naeuis, cogitarent. Qua de re naeuorum examine theoretico absoluto, nostri est, vt diligenter inquiramus, quaenam remedia potissimum sint idonea ad abstergendas istas maculas. In quo recte efficiendo praecepta therapiæ generalis sequemur, primo solliciti de iis remouendis cauissimis, quae tales naeuum procreare possunt, deinde vero ostensuri, quid faciendum sit ad naeuos ipsos delendos. Prima igitur indicatio erit: *Vitandae et corrigendae sunt omnes cauissae, quae naeuos gignere possunt;* quas igitur cauissas in suas redigere classes nunc animus est.

### §. LXV.

*yy*) Confer. Ill. GRVNERI Semiotic. p. 565.

